**Loimologia sive pestis nuperae apud populum Londinensem grassantis narratio historica ... / [Nathaniel Hodges].**

**Contributors**

Hodges, Nathaniel, 1629-1688

**Publication/Creation**

Londini : Typis Gul. Godbid, sumptibus Josephi Nevill, 1672.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/z3ay7v4h

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org









29001/A

Scarce. Original Edition. 638

G XX.13

Unknown to Lowndes who gives the Edition of 1720. - Unknown to Mica

C. Perfect - Scarce

57
367



29001/A

65.c.35

30091

Payne 12/7/11

# ΛΟΙΜΟΛΟΓΊΑ·

SIVE

# PESTIS NUPERÆ

APUD

POPULUM LONDINENSEM

*GRASSANTIS*

# NARRATIO HISTORICA.

Authore *Nathanaele Hodges*, M. D.
è Colleg. Londin.

*Non quærit æger Medicum eloquentem, ſed ſanantem, ſi tamen ita competit, ut idem ille qui ſanare poteſt, comptè de iis quæ facienda ſunt, diſſerat, boni conſulet.* Sen.

*LONDINI*,

Typis *Gul. Godbid*, Sumptibus *Joſephi Nevill* & proſtant venales ad Signum *Canis Leporarii* in Cœmiterio *Paulino*, 1672.

30091

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

*Egregio*, & *Spectatiſſimo Viro* Georgio Waterman *Militi & Prætori*, Johanni Howell *Militi*, *Syndico*, & *Servienti ad Legem*, Richardo Chiverton *Militi*, Thomæ Allen *Equiti & Baronetto*, Johanni Fredericke *Militi*, Johanni Robinſon *Equiti & Baronetto*, *Duci Regio ad Turrim*, Johanni Lawrence, *Militi*, Thomæ Bludworth *Militi*, Gulielmo Turner *Militi*, Richardo Ford *Militi*, Samueli Starling *Militi*, Roberto Hanſon *Militi*, Gulielmo Hooker *Militi*, Roberto Viner, *Equiti & Baronetto*, Joſepho Shelden *Militi*, Dioniſio Gauden *Militi*, Tho. Davies *Militi*, Johanni Forth *Armigero*, Franciſco Chaplin *Militi*, Jo-

Johanni Smith *Militi*, Jacobo Edwards *Militi*, Patien. Ward *Armigero*, Dannetto Forth *Armigero*,

| | |
|---|---|
| Johanni Dawes *Militi*, Roberto Clayton *Militi*, | *Vicecomitibus* Londin. & Middleſ. |

Johanni Moore *Armigero*, *Celeberr. Civitatis Londin. Senatoribus Digniſſimis*, *Populoque Londinenſi S. P. D.*

*Patres Conſcripti, & Cives optimi.*

UTI ſolenne apud Veteres aquam haurienti fontem vernis floſculis decorare, pari ratione me decet acceptam à *Vobis* Provinciam, Studio, & diligentiâ meâ reddere ornatam. Hoc Equidem muneris lubentèr *Vobis jubentibus* ſuſcepi, *Faventibus*, impendiò conficere aggreſſus ſum; adeòque ſperandum, quod ſub *Veſtris Auſpiciis* tam proſperè geſtum ſit, id nunquam *Gratiâ* & *Patrocinio Veſtro* poſſe orbari. Nullus

dubito *Vos omnes* mecum juxtà velle *Regem Noſtrum Sereniſſimum* prono, ſupplicique cultu Venerari, *Qui*, ut *Sibi Civitate ſuâ Londinenſi*, nihil chariùs, penſiùſque videretur (quippe de Veſtrâ veluti Totius Regni Salute admodùm ſollicito) *medicos* ad vim *Peſtis* edomandam conſtitui voluit: *En Indulgentiſſimum Patriæ Patrem Sceptro, & Purpurâ ultrò aliquantiſpèr ſepoſitis, Civium Suorum Sanitati Conſulentem: En Regni etiam mineralis Imperatorem, in Chemiâ verſatiſſimum, ut Metropoli languenti ſuccurratur, Antidota verè Regia propriis manibus conficientem! En Medicinæ majeſtatem, priſtinamque ejus Dignitatem, ſcil. Monarchiam propè ſubverſam, auſpicatò jam reſtitutam, immò nobilitatam, & ab innumero Empiricorum grege, cæteriſque malè practicantium technis nefariis vindicatam!* Maximo Hoc *Pietatis* Exemplo vos adducti, quicquid vel *officium*, vel *humanitas* à Vobis poſtularet, alacri, & parato animo, etiam infimæ concivium ſorti impendiſtis, quò ubique conſtaret, vos non ex iis quibus benè fiat, ſed ex ipſo operis eximii beneficio quærere mercedem. *Vobis Solis* vidiſſe contigit

mala

mala eâ omnia quæ *Peſtis contagio*, *Navalis Belli atrocia*, & *totius propemodùm Urbis conflagratio* invexêre, ſed (quod majus eſt) hæc omnia *invicto animo* pertuliſtis. *Vobis Solis* vidiſſe contigit, *Populum Peſti*, *Bello*, *&* *Flammis ereptum*, ſed (quod miraculi inſtar eſt) *inter ipſa Damna fortiùs creſcentem*: Ita ut difficile ſit judicatu, utrùm in *animis veſtris*, *triſtibus*, vel *lætis*, major fuerit *malorum*, an *Bonorum* contentio? Gratulor interim *Vobis* (viri Digniſſimi & de Patriâ optimè meriti) quòd mihi (Pace Veſtrâ) licuerit, tam *Florenti Urbi* inſervire; uti & fas duxi, *Fatis meis* gratulari, quæ mihi conceſſerint, ut *Veſtræ in utraque ſorte teſtis eſſem Virtutis.*

Veſtræ Dignitatis Cultor

Obſervantiſſimus,

**Nathanael Hodges.**

Peril-

Perilluſtribus, Doctiſſimiſque Viris *Georgio Ent* Eq. Aurat. Collegii Regii Londin. Præſidi Digniſſimo, Doctori *Balduino Hamey*, Doctori *Franciſco Gliſſon*, *Alexandro Fraſier* Archiatrorum comiti, *Timotheo Clearke* Med. Regio Ordin. Doctori *Johanni Micklewait*, *Carolo Scarburghio* Eq. aurat. & Med. Regio ad Turrim. Doctori *G. Bevoir*, cæteriſque Collegis amiciſſimis, omnimodâ eruditione Spectatiſſimis.

*EXpleto jam ſilentio Pythagorico (Viri Eruditiſſimi) nè cui ſit mirum, me paulò loquaciorem,* tot, *&* tanta Nomina *ſimul*, *& ſemel compellare: multùm vereor me*

*me hâc in re tamdiu feriatum* Vobis *diſplicuiſſe, quoniam ſuſceptæ Provinciæ ſeriùs omninò, quàm mea in Vos obſervantia poſcebat, rationem reddidi; ſiquis purgandi locus, ego hoc dicerem, nempe fœtum proditurum à flammis territum reſiliiſſe, donec* Lux *propitia magis, & vitalis affulſerit. Sin verò editionis tardæ gratiam fecerint hiſtoriæ* Nervi, *veritatis candor, proſpera phænomenωn peſtilentium diſquiſitio, neutiquàm me vel ſeneſcentis moræ pænitebit.*

*Cùm* Lege *Liciniâ Cautum fuerit,* Nequis ipſe ſibi ferret curationem *(vita quippe Patriæ dicata non temerè, non privatìm tollenda, quâcum ipſa patitur Reſpublica) hinc ſana Medicorum conſtitutio, adeòque horum judicium acre longâ* experientiâ *firmatum, & quodammodò certum, integritate etiam illorum incorruptâ*

ad-

*adſtipulante, morbis quibuſcunque, vel Peſti, par meritò exiſtimandum. Certè Vobis (Viri Clariſſimi) Sanitatis humanæ gubernatoribus, Cives Londinenſes non impoſterum in ſcopulos infames impingent, naufragium perhorreſcentes; neque quò incolumes, & ſoſpites evadant, neceſſe habebunt ope adſcititiâ.*

*Ego* Vos omnes *Exemplo habui, vel in Luis curatione:* Vos *me ad Medicinæ Rationalis Cynoſuram collineare docuiſtis, ſiquidem* τοῦ ἐνδεικνυμένου καὶ ἀντιδεικνυμένου *cognitio, omnibus Pſeudochymicorum, oſtentationibus, nugiſque Specificis anteferenda.*

*In narratione hâc, uti omnia graphicè tradidi, ita de induſtriâ, quantum licuit, controverſiarum Syrtes evitavi; & quoties à viâ tritâ deflexi, tramitem ingreſſus ſubobſcurum, non tam contradicendi Studio, quàm veritatem*

*ritatem in re arduâ explorandi, problemata nova protuli; quæ tamen omnium examini lubens ſubjicio, vel probanda, vel refellenda, prout cuique videbitur: etenim niſi aliquantulùm erravero, Lectoris veniam fruſtrà rogarem: haud minùs increpanda quorundam pertinacia, à* Veterum *decretis ne latum unguem diſcedentium, ac ſuſpecta* aliorum *vacillatio, philoſophandi libertate in Scepticam degenerante.*

*Quod ad narrationem hanc ſpectat, animi ambiguus, diu apud me deliberavi, an eam ſupprimerem; vel publici juris facerem? tandem libratis utrinque argumentis, tenuitas mea delegati officii ceſſit ponderi, munimentum grande & inexpugnabile ſibi ſpondens à* tantorum Virorum *patrocinio: ſub* Veſtræ Societatis *umbrâ, me non minùs à Malevolorum*

*ſannis,*

*annis quàm ab ipſâ peſte immunem ore confido.*

*Vale Tu (Vir Celeberrime) eru- ditionis, juxtà ac Collegii Apex & Præſes,*; Ædes Collegii *ſub* Veſtris auſpiciis è *cinere ſurrecturas auguror &. ædificium à* Fraternitate tantâ *pulchrius fore : Valete omnes in cœp- ta nobilia paratiſſimi, Artem medici- nalem, tum Galenicè, tum Spagy- ricè, publico mortalium bono, ador- nare indefeſſi pergite.*

Excellentiis Veſtris addictiſſimus,

Ex Ædibus meis in Parochia S. Stephani ad Galli torrentem, aliàs *Wallbrooke.*
Dat. *Jan.* 1, 1671.

***Nathanael Hodges.***

*In*

*In Librum Ornatiſſimi Viri, & peritiſſimi Medici Doctoris* HODGES.

QUis memorare valet Patriæ diſcrimina? Caſus
Cùm Terræ æquaret cladibus ira maris!
Corpora peſte gravi, rapidis ſimul ignibus ardent
Tecta; parat triſtes quot Libitina faces!
Sæviit atra Lues, latè bacchata per Urbem;
Nec Sibi jam Medici dextra miniſtrat opem.
Sed Tu Scriptor ades,qui pennâ,atq; arte,potentem;
Hinc memorare, illinc ſcis ſuperare Luem.
Stet precor Urbs,Surgátq; Viris,muriſq; Triumpho
Nè vacet; en Palmas dat Medicina novas!

*Henricus Bagſhaw*, S. T. P.

*In*

## In Eruditiſſimum Librum Domini Doctoris *Hodgeſii* Λοιμολόγου & Λοιμολοιγοῦ.

AGmina morborum cingunt quot triſtia corpus?
*Mille phalanx Peſtis Sola quot ipſa vorat?*
Hoc Duce Selecto, *fatum ſuperavimus: arma*
*Pharmaca conſtruxit; mors ſatiata fugit.*
*Vulnera Sanando tribuit lethalia peſti,*
*Scripſit & Hiſtoricè Cæſare digna pari.*
*Morborum nidum, Pandoræ pixida vicit,*
*Eſtne Hic* Λοιμόλογος, Λοιμομάχοςve *magis?*

Johannes Lawſon, *M. D. è Coll. Lond.*

---

*Authore*

*Authori Pererudito ſuper Editione tractatûs de Peſte nuperâ* Londinenſi.

CUm graſſaretur ſtrages morboſa per Urbem,
Incola tectorum cùm foret atra Lues,
Prodiit intrepidè Vir Doctus, & Arte refregit
Vim morbi, infectos, auſus adire lares!
Non in fronte Libri Crux rubra appingitur; illum
Volvens, jam tutò fata aliena legat!
Antidotis Author munitur, Stringere dentem
Momus non audet, concidit ipſa Lues.

*G. M.* è Colleg. Londin.

SECTIO.

## Sectio Prima.

### *De Peſtis nuperæ Ortu, & Progreſſu.*

SUb calcem Anni *MDCLXIV* ſtylo antiquo Lues hæc (cujus hiſtoriam contexere aggredimur) futuræ tragediæ cæpit Prologum agere; quid quòd tunc temporis unicam familiam in Urbe *Weſtmonaſterienſi* infici, duorum, triumve mors repentina, concordi ſymptomatûm adſtipulatione firmata, ſat; ſuperque comprobavit: Exinde Accolarum aliquot trepidantes Contagii effugiendi ergò, *Londinum* conceſsêre, quibuſcum unà commigravit fœcundum *Peſtis* ſeminarium, atque hoc pacto *Morbus* adhuc *Infans*, in unâ aut alterâ domo velut *incunabula* agens, *improviſâ* miaſmatis venenati *diſſeminatione*, ſensìm *adoleſcebat*, & propter neg-

lectam initio ægrorum *ſecluſionem*, paulò pòſt *univerſam* adoriebatur *Civitatem*, planè inſuperabilis: Sic ſcintilla, Anno ſequenti, dubium unde excuſſa, dum non opportunè, idoneiſve artificiis ſupprimeretur, in eam impenſiùs exarſit flammam, quæ nec *Civium lachrymis*, nec *vicino Thameſi* ubertìm affuſo extingui poterat, verùm triduo in totius propemodùm *Celeberrimæ Civitatis* incendium ſuccrevit: quamobrem cùm vix quid interfuerit diſcriminis inter utraſque *Calamitates*, perquàm *graviſſimas*, minimè quidem aliena à re videatur digreſſio, aliqualem in Peſte hâc illuſtrandâ *incendii* deſcriptionem identidèm exhibere; præſertìm cùm compari fato, ſimili ardore, & conflagratione *corpora humana*, ac *domicilia* fuerint incinerata.

Utprimùm ad *plebem*, mirari nova *facilem*, pervenerat, Peſtilentiam in Urbem incidiſſe, effatu ſanè incredibile eſt, qualia de mortalitate jam imminente propalarentur *Auguria*; *voxque* & *præſenſiones* populi, perinde ut opinio fert, de rebus hiſce exiſtimantis, proh nimiùm *fatidicæ!* Utpote quas ſtrages cumulatiſſima

ſima brevì conſignavit! ubi autem ad plures permanaverat rumor, & quid mox obventurum alter alteri tradiderat, avidæ omnium Expectationi ſufflaminandæ quamplurimùm contulit conſueta à Peſte noviſſimâ Annorum *computatio*; quippe apud vulgus percrebuit obſervatio, quòd *viceſimo* quoque *anno* in *Anglia* graſſari ſolet affectus peſtilentialis; quaſi poſt *confectum* intermiſſionis *ſtadium*, novus ſubinde invaderet, velut ſtatutâ lege, *paroxyſmus peſtilens*; quæ Hypotheſis ſin minùs obtineat, ut longâ licèt exemplorum ſerie rata, ſagacioribus non æquè arrideat, iſtud tamen compertiſſimum habeo, *viz.* hanc *acrem*, necnon *religioſam* de ingruentis Luis adventu *ſuſpicionem*, plebèios juxtà intemperantes, ac judicio minùs firmo præditos perterruiſſe, & in eorum *phantaſiam* tanto metu *commotam*, & *perturbatam* characteres impreſſiſſe indelebiles, unde correptio indubiè facilior, & celerior propagatio.

Quibus rumoribus, conflatâ velut conſpiratione, ſuffragabantur *Aſtrologorum* à Conjunctionibus, & Cometis *præſagia* vix clementiora, peregrè nunciata, *has* futuri

periculi *hariolationes*, quanquam apud *ſanos* nulla iis habebatur fides, *Cives* tamen infimæ ſortis quamplurimos perculiſſe, & miſerè eos affiixiſſe, obſervatio quotidiana edocuit; quæ ſcilicet eatenùs Luis *exacerbationem* promovebant, quatenùs animos Mortalium proſternere, corporiſque ſuccos degeneres reddere nimiùm quantum idoneæ erant: enimverò cuicunque rem paulò accuratiùs penſitanti luculentèr patebit (ut plebs hâc dehinc levetur ſuperſtitione) coitionem Saturni & Jovis, ſcil. in ſigno Sagittarii, *Octobris* die decimo, & in eodem ſigno Saturni & Martis occurſum *Novembris* duodecimo, *Peſtem hanc* nequaquàm indigitaſſe, nedùm (prout auguratum traditur) illam produxiſſe; nam præterquàm quòd *Lues hæc* cœlorum ſatu propinquo non orta fuerit (uti infrà dicetur) hujuſmodi *Conjunctiones* pari lege *Commodorum omnium* quæ tunc contigêrunt, ex æquo ac *infortuniorum* legitimi parentes jure merito cenſendæ.

Simile eſto *Cometarum* judicium, quocunque minaci (ut loqui amant Mathematici) fulgentium adſpectu, ſive magè

*ſubli-*

*ſublimium*, è multarum ſtellarum *conglomeratione* conflatorum, certis quibuſdam periodis *coeuntium*, ſive *humilium*, è divite particularum ſulphurearum venâ, in Atmoſpheræ regionem evectâ, & ibidèm accensâ, conſtantium; quippè miraculo non eſt, *ſpiritus igneos* in ſuimet ſublimatione ulteriori negotiatos, vehementiſſimâ partium inæqualium, & diverſæ indolis colliſione *flammam* concipere, utique ab irregulari fomitis tractu motum erraticum proficiſci; adeò planè de nihilo in tanta ſollicitudine erat *Civitas*, populúſque erecto voto timebat malum, ab *Aſtrologis* duntaxat confictum, & expeditum, qui *ſuorum* interpretes *portentorum*, hâc in re *Planetis*, *Cometiſque ipſis* magis malevoli eminebant: Nil tamen avertendis terroribus ſuffecit, eò quòd ad hæc *vaticinia* obſtupuerat *multitudo*, pericula enuntiata certocertiùs eventura anxiè expectans, & credulitate nimiâ ſua quodammodò provocans, & præcipitans Fata.

Cæterùm, nè diutiùs in limine hæream, non hìc loci prætermittendum, Gelu immodicè ſævum menſe *Decembri* occœpiſſe,

ad tres uſque Lunæ circuitus continuum, cujus rigore glaciali Contagii vis exitialis conſtricta, elumbis evaſit, & conſopita; pauciſſimi itaque tempeſtate illâ deſiderati è languentium numero.

Mediis Natalitiorum ſolennibus *Juvenem* inviſi valdè febricitantem, exhibitis actutùm *Alexiteriis*, poſt elapſum biduum puſtulæ binæ (in alterutro nimirùm Crure una,) ſtatìm emerſère nucis myriſticæ magnitudinem circitèr adæquantes, quibus iterùm, atque iterùm conſpectis, facilè comperi quonam morbo laboraret æger, & tum à colore nigricante, tum à circulo eas ambiente, illas hàud hæſitantèr peſtilentes pronuntiavi, neque falſum me mea habebat opinio, verùm, (Numine conatus noſtros fortunante) convaluit Juvenis, ſecundæ adhuc correptioni ſuperſtes, caſum hunc inſerui, ut qualem *Lues* mox à ſumptis faſcibus exercuerit tyrannidem, conſultò detegerem, quæ non *importuna*, & *amens* aliquorum more, leges *Patriæ*, *Medicorumque* conſilia confertìm excuſſit, aut exuperavit, partìm ut *brumalem* aeris *conſtitutionem* meritò vindicarem, in quâ ob vim frigo-

frigoris maximam, clauſtris aereis *her-meticè* velut obſeratis, malitia effluviorum coercita, & refracta erat, & ſiqua *languida* exhalationum venenatarum *admiſſio*, in loculis illis (quaſi uterinis) fridigiſſimis extemplò ſecuta *Embryonis maligni* extinctio, ſicuti in domo predictâ, aliiſque eveniſſe ſatis erat manifeſtum, algore arctiſſimos *morbo* cancellos circundante.

Tardiſſimâ hyeme ſolutâ *rediviva Peſtis* ſensìm viguit, & ſe ab anguſtiis in latitudinem laxavit, tanquam carcere effracto aſſerens libertatem; haùd ſecùs ac *flamma* aliquantiſpèr oppreſſa æſtuoſiùs exarſit Furiis ultricibus debacchata: Miranda erat *cœli* indulgentia, *ſubita* quippe, & *anomola* aeris mutatio non minùs *ver*, ac *hyemem* vitiabat, ita ut, ſi *generi humano* inter fauſta numeraretur omina, quòd *vegetabilia*, quòd cætera animalia *Cœlo* admodùm *benefico*, & *clementi* potita, optimè floruerint, minimè quidem inceſſiſſet *Lues*, *nobis mortalibus* nimioperè infeſta.

Quamprimùm *Magiſtratus* (cui Sanitatis publicæ cura potiſſimùm incumbit) virus

virus peſtilens indiès *auctum*, & *Corroboratum*, ſimul ac ad plures *Parochias* ſerpſiſſe malum animadverterat, illicò *edictum* (prout conſuetudo inveteravit) de Ædium infectarum occluſione promulgatum, nè *amici*, nè *conſanguinei* incauto ad infirmos ingreſſu *Contagium peſtilentiale* adirent, & oppeterent, aut indultâ ægrotis foràs prodeundi copiâ, ulterior populis *Luem* ſpargendi anſa præberetur.

Quoniam verò circa hanc *ſeparationem*, an illa *proficua* ſiet, vel *fatalis*, multùm hodiè ambigitur, & anxie diſſeritur, mihi fas ſit compendiò *Gentis noſtræ* morem percenſere, & argumenta utrinqùe allata ſine partium Studio liberiùs expendere.

Quod ut expediam, præmonſtrare oportet Legem *Authoritate ſupremâ* ſancitam adſtringere, ut *oſtia domorum infectarum* obſerentur, utque *Crux rubra* æquilateralitèr extenſa ad tres, quatuorve ſpithamas appingatur cum *ſubſcriptione Cenſoriâ*, ſimul ac *deprecatoriâ*,

*Domine Miſerere Noſtri.*

Cuſtos utique *armatus* eâdem lege conſtitutus

ſtitutus erat, qui nocte, & interdiù præ foribus agat excubias; officio nempè hic tenetur, *victum idoneum*, quin & *Medicamenta* incarceratis porrigere, nec non *occluſorum* quorumcunque *egreſſum* inhibere, quoùſque *tranſactum quadrageſimale* fuerit: *Præfecti* licèt *Sanitatis*, & plebis *Tribuni* hæc, & alia omnia *impigrè*, & haud *perfunctoriè* exequerentur; Cuncta tamen ex tranſverſo ceſſerunt, *Morbo* magis, magiſque indies *ingraveſcente:* Ecquis Conſternationem eorum à Societate libera proſcriptorum exprimere valet? præcipuè ubi initum cum *Lue* Contubernium? quem fugit *puſillanimitatem* contagii fore *prodromam*, & *faciliorem* illi parare *victoriam*? Certè res hæc in nulla verſari Contentione videtur, quandoquidèm omnes ferè à cæteris relegati, diem obiêre; ſcilicet hoc habuit ſummi juris *præfata occluſio*, ut ſiquis proximo ante quadrageſimum die correptus eſſet, cæteri ejuſdem familiæ non ante confectam receſsûs novi periodum eâ liberarentur, quæ diuturna ſecluſio cunctos ſingulatìm heu nimis frequentèr mactavit.

Ad

Ad promovendam inſuper *Segregatorum* cladem lethiferi *Nutricûm* doli acceſsêre, quarum *complures* ( de iis non licet molliùs loqui ) alienis opibus inhiantes *ægros* ſtrangulabant,*parotidem* incuſantes, aliæ (horreſco referens) *tincturam* ſaniei peſtilentialis *hauriendam* exhibuerunt; profectò nil *has* abſterruit occaſione ſceleris exequendi *admotâ*,vel *quæſitâ*; verùm iſta *Sexûs* propudia *profligatiſſimæ homocidæ*, utcunque ob *teſtium* defectum infanda facinora impunè ferant, nullus tamen dubito, eò quod tot *innocentes vitæ ſuæ* pariter ac *bonorum* exhæredes fecerint, quin perditi animi, *Judicium Divinum* haud ſint evaſuræ: *nonnullæ* autem legem *talionis* patiebantur, *una* è multis inſignitèr detecta erat, *hæc* enim domo effractâ, in quâ omnes nuper extincti, ſpoliis ſe opimis oneraverat, ſed *lucrum* fuit brevi *abreptum*, ſiquidèm non multos metita paſſus (tanquam Cœli dextrâ barbaram rapacitatem vindicante) *ſarcinam*, h. e. *comparatam* improbiſſimè *prædam*, pariter ac *vitam* depoſuit: Memorabile etiam fuit *Civis cujuſdam* infortunium, quem *nefariæ iſtæ mulieres*(an feræ dicam)

fato

fato ceſſiſſe ſuſpicantes, *veſtitu* pariter ac *ſuppellectili* penitùs nudarunt, proh inaudita crudelitas! pridiè enim *vir bonus* pro deplorato habitus, mox convaluit, & quaſi *renatus* Mundi Theatrum denuò ingreſſus eſt, profectò (nè plura conſecter) tot, & tam fatales erant *Nutricûm* technæ, ut utinàm, ô utinàm tanti Criminis *artifices* (quod ipſam ſuperat barbariem) formidando poſteris ſupplicio plecterentur, nè forſan impunitas futura fiat peccandi illecebra.

Adde hùc, quòd *memorata* domorum *occluſio* proximos abegit, qui ſanè feſtinantiùs è *Civitate* ceſsêre dilapſi, quàm *incendio* adjacentes lares *deprædante*, & quemadmodùm deerant manus (omnibus ſe proripientibus) quæ victrices coercerent flammas, ita fato conſimili ſemet præ formidine ſubduxerunt, qui alitèr phreniticis, & delirantibus regendis inſervirent; equidem ex animo credo, quòd plurimi hodiè in vivis fuiſſent, neceſſario *vicinorum* auxilio freti, niſi propinqua ſecluſionis trophæa *amicos* longè fugaſſent.

Quin fidem hiis ampliſſimam conciliare videntur

videntur *peſtium aliarum* exempla, quæ non priùs ceſſare obſervata, quàm *patefactis oſtiis* indulta quibuſlibet foràs exeundi venia, & libera ſocietas; proinde ſiquid Authoritatis habet ſecunda aliarum Gentium *praxis*, ea quidèm concedenda immunitas, quæ *animis* mortalium, juxtà ac *corporibus*, inſito Naturæ privilegio congrua.

Reſtat jam, ut quid ex altera parte produci poſſit, æquè expendamus; prout igitur neutiquàm Crudele habitum membri unius, aut alterius ſphacelati amputationẽ ſolennem inſtituere, ſincerarum partium tuendarum gratiâ, pari methodo piè & dextrè adminiſtrata Reipublicæ diſciplina, *publicæ ſecuritati*, potiùs quàm *privatæ* proſpiciens, *paucorum Civium* incommoda meritò poſtponit *Univerſæ Orbis totius utilitati*; dato inſuper, coörtam *ſemine contagioſo* peſtilentiam (quod infrà probatum dabo) quodnam precor indagine humanâ remedium exquiratur abſolutius, quàm *tempeſtiva* ſanorum, infirmorumque *ſeparatio*, præcipuè, ſi *quanta* ſolet eſſe ipſius *morbi malitia* in memoriam revocemus, malignitate peſtiferâ non *cor-*

*pus*

*pus* ſolùm, ſed *animum* afficiente? etenim quis non obſtupeat artificia mira *correptorum*, ut hi in proximos iniquè fiant injurij, & illos *eodem* imbuant *veneno*? hìnc ſtudium oſcula ingeminandi effuſiſſimum, ut extremum ſpiritum adſtantes excipiant, quocum velut ludere ſolent moribundi; hìnc tot *inſignes Triumphi* à tranſplantatâ Ulcerum ſordidorum ſanie; ut taceam mulierem illam quæ in ipſo ferè mortis articulo mariti amplexus obnixè efflagitavit, cui miſer homunculus morem gerens, digniſſimas obſequii, & libidinis incautæ pœnas luebat.

Demùm, ut eximam hanc dubitationem, non ſum neſcius permagni intereſſe, ut ubi primùm cœperit *Peſtis*, mox *Edicto*, (Maiorum more,) domorum infectarum *occluſio* imperetur; quo quidem conſilio actutùm *Lues* extingui poterit, nullo deinceps artificio, poſtquàm longiùs abierit, & aliorſùm per aliquod tempus tranſvecta fuerit, domanda; exploratum haud minùs, *expeditâ* pulveris bombardici *exploſione conflagrationem* compeſci potuiſſe, niſi in utriſque malis obſtitiſſet longè *periculoſiſſima* conſulendi *mora*.

Si

Si tamen impoſterùm (quod avertat Numen) *Lues* debaccharetur (Pace ſuperiorûm dixerim) haud parùm expediret, ſi *Ædificium* aliquod ad ſanos (quotquot in ædibus peſte infectis reperti fuerint) excipiendos extra Urbem extrueretur, quique *incolumes*, qui *integri* ibidèm per tempus ſtatutum permanſerint, in publicum iis prodire licitum foret, & optatâ frui libertate, amotis illicò correptis poſteà (ſi id contigerit) peſte, in *deſtinata* iſti morbo *noſocomia*; quo ſc. pacto horridum & Religione noſtrâ, ac humanitate (vel ipſo Mahumetano Judice) indignum prorſus piaculum evitaretur, *vivos* proh ſævitia! velut *Cadaveribus* alligandi, & valentes cum correptis commiſcendi: atquì ubi maturuerit *peſtis*, dandum videatur *Legi* laxamentum; nam *occluſio* minimè fiat *par* incommodis *remedium*, contagio nimirum longè, latéque diffuſo, non tantùm hoc *ſtratagema* obici ponendo nè vix ſuffecerit, ſed etiam, ut tanta *ſegregatorum* multitudo ſuſtentaretur, dummodò denarii octo in ſingulorum uſus quotidiè numerandi, *immenſam* pecuniæ *vim* expendi neceſſe ſit.

Tandem

Tandem, ut redeam, longiùs paulò divagatus, menſibus Maij, & Junij procedentibus, tempora *Civitatis* dubia, modò *ſæviùs*, modò *mitiùs* (quaſi feriata) alternatìm *peſtilentia* affligebat, nunc *has*, nunc *alias*, per ſaltus (pugnâ velut laxatâ) invadens *parochias*, qùoties imminutus *funerum* numerus, toties fidiſſima nos ſpes tenuit *Luem* cito citiùs *extinctum* iri, & denuò pro augmenti ratione, proſtrati omnium animi, perinde acſi de *Metropoli* conclamatum eſſet; certè res hæc tamdiù in æquilibrio pependit, ut hiſce induciis hoc amplius mali acceſſerit, mortales ſc. de minarum terrore, diſcriminis acerbitate, & eventu, incertos, & ſollicitos tenere.

Nequid taceam memoratu dignum, vix *poſteri* credent quàm properè *Cives* tremebundi rus petierint, diſceſſionem turmatìm facientes, adeò ut è *Londino* quis *Londinum ipſam* emigraſſe exiſtimare poſſet; ſimiliter ac *incendio graſſante*, portæ omnes, viæ regiæ anguſtiores erant, quàm ut populo fugienti ſufficerent: poſtquam *flos*, & *robur civium* receſſerat, utcunque tantum pabuli ablatum, Lues tamen hærebat,

rebat, quæ tandem ſimulare fugam (Parthorum inſtar) viſa, ut celeriùs palmam conſequeretur, cujus *priſtina clementia* in *effrænatum* ceſſit *furorem*, non ut anteà *gradu lento*, & *pedetentìm* ſerpſit *contagium*, ſed citatis greſſibus *perniciter* explicavit curſum *viribus* quaſi *duplicatis*; quemadmodùm in pugna conſerendâ, primò *levi armaturâ*, & *cornibus*, mox *universâ acie* cominùs dimicatum; ita *methodo conſimili* in varia paſsìm Urbis loca *factâ* miaſmatum venenatorum *irruptione*, *Civitas* brevi ab innumeris aſpirationum peſtilentialium copiis erat *oppreſſa*.

Cùm itaque intra unius ſeptimanæ ſpatium (Seirio etiam ſidere ardente) *octingenti* in funerum rationes venirent, uti in difficili res, ultima expetebat conſilia, ita non minùs feriò à *Magiſtratibus* conſultum, quibuſnam (ſi fieri poſſet) modis inſtanti Urbis excidio ſuccurreretur: imprimis itaque Votis ad *Deum* verſis, ex *publico decreto* jejunium (efficaciſſimum *Iræ Cœleſtis* placamen) ſingulis menſibus inſtitutum, neque *oleum perditum*, aut *lachrymæ* protinùs *effœtæ*, quoniam ex eo *Divina indignatio* videbatur accenſa, ſi

enim

enim ſpectanda *Cœli* temperies, neſcio an *æqualior*, & *ſalubrior* tempeſtas *verna*, quàm *æſtiva*, eò quòd *venti leniores* amicè auram caſtigantes perflarent, *putrefactivam* ejus prohibentes *ſtagnationem*, & ſemina peſtifera utcunque ſubtilia, & occultiora *diſſipantes*, & *excutientes*, nec non *calor mitis*, & *moderatus* tum *inordinatarum* & *anomolarum* excitationi fermentationum obſtaret, tum *ſuccos* in corpore humano *depurandos* debito gradu & ſtatu ad amuſſim conſervaret, ac regeret.

Poſt decretas *Numini pacando* ſupplicationes, de *ope Medicâ* perquàm *neceſſariâ*, inter *Magnates* deliberatum; idcircò *Veſpaſianus Noſter* ut leniendo morbo nihil non *Divinum*, nihil non *Humanum* adhiberet, *Collegio Suo Londinenſi* de *Libro* linguâ vernaculâ *excudendo Juſſa Regalia* edidit, in quo (prout Majorum conſuetudo præſcripſit) adjectis *omnium Collegarum* Symbolis, eximium illuxit ſpecimen, & in *Majeſtatem Sereniſſimam* pergrati, utique & concitati obſequii, & in *Populares* non minùs *Judicii graviſſimi*, quàm *Indulgentiſſimæ Humanitatis*: neque

*Societati Eximiæ* publici boni *ſtudioſiſſimæ* ſuffecit Chartas emittere, verùm ex *eorum* numero *plures* ſelecti, & conſtituti, qui pro re natâ correptis conſulerent, ad illos etiam ingreſſi, digniſſimos ſe præſtarent tam *Eruditâ*, tam *Expertâ Fraternitate*; Duo autem è multis, à *Senatu Londinenſi* munus id periculoſiſſimum ſubire, ex *Publico Conſilio* juſſi; haud contemnendi ſtipendii ſpe factâ, *alacres* & *prompti* ad *Provinciam* acceſſimus, bene cauti, & admodùm ſolliciti nè *Spartæ ornandæ* conamina vel ultima deeſſent; veruntamen *Onus* vix à FacultateMedicâ ſuſtinendum, quatuor humeris impoſitum; ſuccumbere puduit, ſufferre ad extremum virium contendimus, ſed *penſum* omnimodam induſtriam eludere videbatur & ſuperare: *Lues* quippe (capitis adinſtar Hydræ) ſat auſpicatò pleriſque in ædibus ſubacta, & detruncata, iterùm, atque iterùm cum fœnore ſuccrevit; ità ut ſtatim à delegato nobis officio utcunque Thoracem induentibus, de integrâ *morbi* depulſione protinùs deſperatum eſſet.

Neque verò deerant inſuper *Inſigniſſimi* & *Clariſſimi viri*, qui privatam in Peſte

Peſte compeſcendâ ( periculi tanti Conſortes ) operam navarunt, è quorum numero ( non ſine honoris præfatione nominandi ) erant *Viri eruditi* & *ſagaciſſimi Franciſcus Gliſſon*, Prof. Reg. *Cantab. Nathan Pagetius, Thomas Whartonus, Petrus Barwickius, Humphredus Brookes*, & alii haud vulgaris famæ etiamnùm hodiè in vivis; verùm Medici octo, vel novem mediâ in acie conciderunt, ſpoliis à *morte* fortiter reportatis onuſti nimìs, & oppreſſi; inter quos expiravit Dr. *Gulielmus Conyers*; poſtquam Gloriæ monumenta, & Laudis Inſignia in omnium animis condiderat.

Peſtilentiâ tandem quoſcunque conatus ejus propagationem inhibendi dedignante, & refutante, nos *correptorum* medelæ totam operam præbuimus, quod ut conſequeremur, nullis (abſit verbis oſtentatio) noſmet ſubduximus periculis: fidem verò omnem ſuperat, *Contagium* inter ſortis infimæ homines *diffuſum*, repentè admodùm luxuriaſſe; hinc præterproptèr *Lues Pauperùm* vulgò appellitata, è quibus Holocauſtum ferè immenſum *Libitinæ* Sacratum; quantumvis autem *Urbs* ab

opulentis Civibus *derelicta*, incoliſque aliis propemodùm nudata eſſet, *plebem* tamen aliàs ærumnoſiſſimam *Annona* minimè premebat; publici enim ſumptus,& affluens divitûm benevolentia non ſolummodò indigis paupertatem levarunt, ſed eorum tenuitas tantâ munificentiâ opiparè ſuſtentata erat; proinde cauſam aliam cædis tam notabilis magìs exploratam infrà aſſignabo.

Menſibus *Augusti*, & *Septembris*, non ut priùs, *cunctantèr*, & *languidè* proceſſit *Lues*, ſed rerum potita, & velut ſui juris facta *excidionem* oppidò fecit, quibus labentibus *tria*, *quatuor*, *quinque*, immò & *octo millia hominum* hebdomadatìm fatis ceſsêre: Quis cladem horum menſium? Quis fando explicet, quàm grave tempus? ingemuit *Orbis Britannicus* Urbis Primariæ tam luctuosâ facie conſpectâ! ſcilicet in *domibus* pleriſque,aut cadavera jacebant veſpertinam manentia Exportationem, aut languentes decumbebant in *Orci* fauces brevi ruituri; hoc in cubiculo audire erat alta *expirantium* ſuſpiria, illo minaces, incertaſque *delirantium* vociferationes; non procul aberant *Con-*

*ſanguinei*

*ſanguinei*, & *amici* tam *aliena*, quàm *ſua fata* proximè imminentia verè plangentes: Mors *puerperis* nonnullis erat pro *Lucinâ*, & *Tenelli* ab utero in *tumulum* non *abortarum* collapſi. Quem non miſereret *Infantium*, Mundi *Candidatorum*, ubera defunctarum Matrum *vivacitèr* & *avidè* ſugentium? aut *tori Genialis* eâdem nocte in *ſepulchrum* mutati, cùm zonam, amplexuſque primos invida Fata ſolverint? foràs occurrebant *correpti* hùc, illùc, per plateas, inebriatorum more titubantes; illìc jacuerunt *Comatoſi*, & tantùm non *ſemimortui*; quæ gravis ſomnolentia non niſi ſonoro tubæ noviſſimæ clangore diſcutienda: iſtìc obviàm ſe dederunt enormi vomitione fatigati, epoto velut aconito; medio in foro benè valentes derepentè conciderunt, perinde acſi *Contagium* proſtitiſſet *Venale*: reverà haud diſſimiliter ſe res habebant, ac in *triduanâ civitatis Conflagratione*, quâ prout *ipſæ Aræ* tot fiebant *victimæ*, & *Templa* toto orbe *celeberrima*, recenti devotione accenſa, ardentioribus votis Cœlum petebant, marmora non ſe lachrymis ſuis immunia fecerunt, cæræ inſtar diffluentia; nec ſupplicia

diù monumenta exoratas habuêre flammas, nonnullis *alterum Martyrium* paſſis; uti etiam *Palatia* quædam *Auguſtiſſima* illicò abſumpta, in *Greſhamii* quoque *Periſtylio* convolarunt undíque & ſolennitèr convenientes *flammæ*, velut conjuratæ, *Commercium fatale* exercuerunt; quin & *mercibus* ex omni propemodùm regione *allatis*, unáque *crematis*, incendium hoc *noviſſimæ Conflagrationis* imago veriſſima & epitome videbatur; neq; *Sceptris amicis* nec *ſtrictis Regum gladiis* Phanaticæ, & Rebelles flammæ pepercerunt; uti inſuper *Hoſpitia* admodum *capacia*; uti Civium ditiſſimorum Ædes ampliſſimæ, nec non pauperum domunculæ eodem incendio in Cineres redactæ; quum erubuit Occaſum ſuum Sol, & Regnum nocturnũ invidebat flammis, quæ ipſius Corrivales dies tot infauſtos accendebant; (uti inquam) ſine ullo delectu Urbs exarſit, & Concremata eſt, conſimilitèr à congeneri *Peſtis* furore nullus Civium ordo, nulla ætas, Sexuſve, immunis, *Theologi* quidam gnavitèr Sacerdotali fungentes officio in Cœleſtium albo conſcripti, *Æſculapii* nonnulli (prout ſuprà memoratum) Antidotis &

ope quam aliis contulêre, ipſimet deſtitutis teſtudinem non fecerunt *Milites*, qui tametſi ad inſidias *morbi* vitandas extra Urbem caſtra poſuerint, Contagii tamen inſultus protelare non ſatis valebant: *multi* ætate *graves*, ætatis Conſtantioris *plurimi*, *juniores* ad vivendum firmi, *Sexûs* autem *fæminei* longè etiam plures ſuccubuerunt; *Infantum* perpauci evaſerunt: haud rarò intra *quatriduum* tertii Hæredes conſcripti; inhumandis mortuis non ſuffecerunt Veſpillones, Campanæ ob continuam pulſationem primò raucæ, mox elingues; Cœmitæria cadaverum protinùs incapacia; nova itaque, & ampliora in uſum illum ſepoſita; ſepulchrorum vice Foveæ grandes, quæ triginta vel quadraginta loculos unico hiatu deglutirent: ſæpe ſæpius obvenit, ut qui alios mercede accerſiti, hodiè veſperi ad tumulos viles extulerint, ipſimet ſequente nocte iiſdem conderentur.

——— *Quis talia fando*
*Temperet à lachrymis!* ———

vix me cohibeam, quin condolendo liqueſcam, & in fontem, cum *Marſyâ* diſ-

ſolvar: hoc quippe *Civitatis* tempore quid foret extremum dubitavimus; inter *Sacrum* & *Saxum* ſtetimus, *Urbs* enim *aſſiduis* ferè exhauſta *funeribus*; nec dum *acquiſita* malorum *levamenta*; nec dum *Lues indicata*; cujus rabies effrenis admodum nondum deferbuerat.

Sub initium *Septembris* morbi ſtatus aderat; quo currente, pluſquam 12 millia ſeptenario interempta: tandem aliquandò nequid in hâc rerum trepidatione intentatum relinqueretur, à Magnatibus quibuſdam Præſedibus ad id muneris conſtitutis (Aulâ Regiâ intereà temporis *Oxonium* commigrante) veluti ſummæ rei periculum facturis, conſilium de ignibus in plateis ſingulis per triduum extruendis initum. Hæc dum agitantur, nos *Medici*, magno animi impetu res geſtas, & experimenta hæc incuſavimus;& quoniam *Aer* omninò *purus putus* & *illibatus* extitit, ſupervacaneam, & inutilem fore ejus *depurationem* æquè atque ſumptuoſam, acriter contendimus; deſideratiſſimâ *Civitatis* ſanitate *Magnatûm* Authoritati, & præclaro aliàs *Hippocratis* noſtri exemplo vix inſcitè prælatâ: nobis autem nequicquàm recla-

reclamantibus ubivis loci *Ignes* accendebantur. At proh dolor! lis ſuper hâc re orta actutùm dirempta fuit; triduo nimirum nè vix elapſo, Cœli lugubres non tantùm innumeris funeribus illachrymabant, verùm errores noxios uſque deflebant, dum *Ignes* ab imbribus effuſiſſimis extinguerentur. Sit penes quempiam ſuſpicio (per me licet) num *Ignes* hi tum futuræ *Conflagrationis*, tum *rogorum accenſorum* ominoſa cenſeantur Præludia; *viz.* ſive à vi carbonum ſuffocatoria, ſive à pluviali aeris conſtitutione perpetuò fatali, inauditæ cladis Nox advenit; ſanè ultra quatuor millia ante diluculum mactata: Exin conſultiùs agant, & infortunio noſtro erudiantur *Poſteri*, nec dum expertam licèt curationē, *Empiricorum* more, cuilibet cauſæ vel diſſimili adaptare ſatagant.

Submonendus hìc *Lector*, quòd maxima ſuppetebat *fructuum horariorum* copia, præcipuè *Ceraſorum*, & *uvarum*, quas viliſſimo pretio coemptas, uſque ad ingluviem multi ingurgitarunt, unde haud dubiò fomes in provocandâ Lue importunus, uti poſteà dicetur.

Neque tranſiliendum ſilentio ſtupen-
dum

dum planè adjumentum cuivis *Civium* ordini beneficum, & ſummæ *Magiſtratûs* Curæ debitum, nempè *forum* pro more *apertum*, & omni *victûs* genere *inſtructum*; ita ut vix aliâ tempeſtate *eſculenta*, & *potulenta* minoris venirent; hìnc *Fames* quæ vulgò habita tot *peſtium Domina*, quarundam *pediſſequa* procul ablegabatur: atrocitatem *Peſtis* hæc res plurimùm levavit; quocircà divinæ *Bonitati* Grates in æternum rependi æquum eſt, quæ ut ferè deploratam nobis leniret miſeriam, è penu inexhauſto hoc exprompſit & expedivit Cornucopiæ.

Poſtillà, nequid deeſſet complendæ *Peſtis* jugulationi, malorum velut *acme* & *complementum*, hùc acceſſit *Pſeudo-chymicorum*, & *Empiricorum* innumeralium praxis; in quorum audacem inſcitiam, & importunam temeritatem temperare mihi nequeo quin calamum ſtringam; Civibus nimirùm Antidotis, remediiſque efficaciſſimis comparandis unanimitèr, & ſedulò incumbentibus, Hi homines nequam, à literis bonis, & Facultate medicâ alieni, præparationes titulis tenùs duntaxàt proficuas, plebi in manus tradebant,

adebant. Ecquis uſquam Gentium Hos
olis, techniſque nefariis exuperavit?
ioties incolumitatem credulis pollice-
intur, toties res ex adverſo ceſſit; mirum
rofectò erat unum quempiam evadere,
ii illorum Curæ, ex fraude & mendaciis
onſtantium, ſemet concredidit: Medica-
enta utplurimùm ipsâ *Lue* funeſtiora
debantur, ſaltèm miſeros præcipites
ipellebant: hinc auctus Funerum nu-
erus, Peſtis etiam laceſſita ipſos *Cini-
nes* aggreſſa, ſe in *ipſorum* ſcelera ſimul
*Magiſtratûs* hâc ex parte incuriam
eritò vindicavit.

*——Nec Lex eſt juſtior ulla*
*Quàm Necis Artifices arte perire ſuâ.*

Hoc tempore *Quidam* è *Magnatibus*,
*gatus* de arduis Regni negotiis in
*alliam* miſſus, *Civitatis* etiam *Fautor*
*dulgentiſſimus*, utprimùm inaudiverat
*os Galios* remedium Anti-peſtilentiale
rtiſſimum inveniſſe, pulveris cujuſdam
oſes nonnullas tranſmitti curavit; cujus
os Medici Superiorum juſſu, caute-
que ritè obſervatis, periculum fecimus,
entum præſtolantes hactenùs inaudi-
tum,

tum: ſed montium *partus* fuit *lethifer* ſingulos quippe prparatio illa minerali ſomno ſempiterno conſopivit! abſit, procu abſit impoſterùm ut vel homunculi Sorti infimæ non ſine vitæ jacturâ peregrini & ignoti Medicaminis virtutem experiri cogantur. Certè quid magis à Ration abhorret, quàm remedium unicum dai Catholicis (ſi Diis placuerit) dotibu inſtructum, intentionibus interìm Cura tivis aliis, atque aliis, perſæpè contrariis idcircò ſecundùm varias in Peſte indicati ones, diverſa medendi inſtituta intent obſervanda, quod alibì monſtrabitur.

Accedit, quòd medicamenta quædam vulgaria ubivis loci proſtabant venalia hæc utcunque ob caliditatem præcellen tem, vimque inflammatoriam jure me rito ſuſpecta, quibuſcunque tamen, nullâ ætatis, nullâ ſexûs, nullâ temperament ratione habitâ, indiſcriminatìm exhibita nocumento indubio erant: quâ de cauſâ *Ars Sacra* pariter ac *Publica Salus* graviſ ſimè patiebantur; verùm *nos Medic* iterùm atque iterùm cum *Magiſtratu* rem egimus, nè horum *imprudentia*, & aliorum *audacia*, publico malo nutrirentur; quin

potiùs

otiùs inhibitâ Imperitorum praxi inſtans
ræcaveretur Excidium : Hinc ſubortum
*roblema*, Annon Graſſante Peſte, quam
Iedici tot conſultò fugiunt(non tàm diſ-
riminis gratiâ; quàm, ut aliis inſerviant,
vocati) cuilibet proingenii modulo me-
icari ſit licitum ? pari modo ac ad *Incen-*
*ium* reſtinguendum, omnes certatìm ſe
:cingere oportet, ubi *multitudinis con-*
*ientis*, æquè ac *Artificum manus* neceſſa-
æ, ubi labor omnis expromitur.

Mihi hâc in re facilis & prompta de-
nſio; etenim in valetudine inſtaurandâ
*utiùs* & *conſultiùs* agendum, quàm in
*enſitâ Calamitate* viz. præter Artis me-
cæ difficultatem à rei literariæ ignaris
uperabilem, nequaquàm minervâ craſ-
exilia vitæ humanæ ſtamina barbarè
ictanda, ac tigna ædificii arrectoria; in
:dicinâ quidem adminiſtrandâ ſiquis
ror forte acciderit, incertus admo-
m correctioni locus, nè dum in morbi,
:em peracutiſſimi medelâ bis pec-
re conceditur juxta Aphoriſmum ὁ δὲ
ϱὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖϱα σφαλεϱὴ, ἡ δὲ ΚϱίϹις χα-
ή, ἡ δὲ ἄισα ἀμετάκλητ@; idcircò rem ſeriò
nſitâti non is ſum qui dubito quia longè
tutiùs

tutiùs videbitur *Medicos legitimos* omnin
deeſſe, & Naturæ regimini totum nego
tium permitti, quàm *indoctos* & *inex*
*pertos* privilegio arrepto medicinam fa
cere; eò quòd *hi* mentis acie capti, cu
Morbis *Andabatarum* more dimicante
protinùs ignorant quâ ex parte hoſt
commodè impetendus, aut quibus co
fodiatur telis: hoc inſuper non minùs d
lendum *bardos hoſce* ſæpius impedimen
eſſe Naturæ Colluctationibus, quibus il
niſi opera nixuſque ultimi in re ardu
eluderentur, ſe proprio Marte à *Lue* ſ
auſpicatò vindicare potuerit.

Neque erit in iſthâc enarratione ſile
dum, quòd *Labes infeſta* aliorsùm ſig
intulit, vexilla diſpandit, cum imper
obtinens expatiandi licentiam, & qu
profectionem parans adjacentia circu
quáque oppida invaſit; *Civibus* videlic
*dilabentibus* catervatìm in agros vicin
ferocitèr inſtitit contagium; exinde *Peſ*
*lentia*, quæ primò vicatìm ſerpſit, pau
poſt in Comitatus longè diſſitos divaga
eſt: municipium haud ulli loco indultu
prædia interìm quò Thameſi proximio
eò atrociùs vexata, fortè non tam
aere

erem humidiorem, quàm ob intuta Com-
ercia: porrò Urbes nonnullæ, & pagi
u nobiles, propter eximiam aeris ſalu-
ritatem, publicam participabant cala-
itatem, de quâ re infrà: ſcilicet hanc
abuit originem, hos proceſſus *Peſtis nu-
ra Londinenſis.*

Cæterùm graviore Anni tempore jam
rcumacto, ſtatuque morbi abſoluto, pari
aſſu inclinavit, & receſſit *Lues*, ac ſen-
m creſcebat,& progrediebatur: hactenùs
cèt numerus languentium vix imminu-
s, malitia tamen ejus vehemens eſt viſa
iquantulùm pacata; ſanè pauciſſimi è
edio ſublati, iique propter errores haùd
ves: ità demùm malignitate *Peſtis* re-
ittente, timor priſtinus ex omnium a-
mis extemplò ejectùus, & deraſus: ſive
lenniori precationum genere *exoratum
umen*, & venia *ſupplicii* inventa; ſive
*firmi* in obſequii certamen venientes
emedia millies probata morigerè, &
acritèr ſumebant; ſive *Nutrices* in offi-
is fungendis tandem *cautiores*, magiſque
*deles*: profectò ita evenit, ut ſæviſſimâ
onflictatis cum Peſtilentiâ exinſperatò
es priſtinæ affulſerit Sanitatis, utique
in

inopinata Conflagrationis periodus; laſſi ſcilicet omnibus qui in ædium ſubverſi one exploſo pulvere bombardico, au incendio alitèr reſtinguendo occupati cùm etiam *pabulum idoneum* ſatis & *pro cax* à *flammis* proh nimium *laſcivis!* ſe abundè *ſatiatis* repudiaretur.

Non propterea *Lues* (prout paſsim in crebuit Rumor) fomite deficiente ceſſavit verùm ex indole *morbi* par erat *Exordi*, *Epilogus*, in utroque ſibi conſtans *benig nior*. Neque minùs inceſſit admiratio quòd Typo peſtilentiali vergente, ut cæteri morbi *lue ingruente* in illam degenerarunt, ita ipſa *Lues* talionis lege gratì aliorum larvam induit, unde *Eryſipelas*, *Cephalalgiæ*, *Anginæ*, *Dyſenteriæ*, *Variolæ*, *Morbilli*, *Febres lentæ*, & *hecticæ*, in quibus tamen *illa* prædominium exercuit, uti ex infrà dicendis patebit.

Circa anni *ſuprema*, *idibus* nimirùm *Novembris* vix actis, ivit in melius *Valetudo*, & tanta fuit rerum facta commutatio, ut formidine *Civium* propitiatâ, quam plurimi (crebra licèt quotidiè funera celebrarentur) qui ſanitati fugâ conſuluerant, ad ſe primò redientes, ſeſe

Urbi

Urbi intrepidè commiſerint, atque *De-cembri menſe* non minùs catervatìm, ac ſe priùs ſubduxerant, de tardo reditu parùm ſolliciti, à ruſticatione redierint: & ad ſuas ædes confluxerint: domicilia igitur quæ modò plena mortuis, vivis denuò repleta; nec non *officinæ* per ſemeſtre ſpatium *clauſæ* peralacritèr aperiebantur; *populúſque*, ut pridem, in ſuis rebus agendis, commerciiſque faciendis occupatus invicèm ſeſe miſcebat: immò quod dictu propemodùm incredibile, *Londinenſes quidam* ſe confirmantes, quanquam paulò ante nè conſanguineos quidèm, aut familiares ab *Urbe* profectos è longinquo ſalutare auſi fuerint, excuſſo protinùs timore, cubicula ingredi minimè trepidabant, in quibus correpti plures nuper expiraſſent: tanta demùm erat *languentis populi* incitatio, tanta fiducia, ut *plerique* lectos peterent defunctorum illuvie ſudorificâ tepentes, tanquam de ipſo Contagio maximè funeſto penitùs conclamatum eſſet: *Connubia* ubivis certatìm *inita*, & ad reſarciendum diræ mortalitatis damnum ferè *omnes mulieres*, quædam ſteriles habitæ (veluti Conjuratione factâ) in utero habebant,

bebant, adeò ut tantis populorum impendiis, utcunque circitèr *centies mille* (ſi fides quorundam calculis) à Peſte jugulati, paucos intra menſes exigua, pænè dixeram nulla tantæ ſtragis reſtarent veſtigia: & ſic quidèm exiit inauditâ clade fædatus Annus.

Atquì proximo vere reſidua quædam *Peſtilitatis* ſemina è prioribus malis ſuccrevêre, quæ non gravatìm Medicinæ viribus eradicata; & tandem veluti finito paroxyſmo febrili omnia in priſtinum ſtatum redire ſolent: ita expletâ correptione *Cives* animum induentes *incorruptâ* poſteà viguerant *Sanitate*; haud aliter *abſolutâ conflagratione* ex ſuis Urnis *ædificia* ſurrexêre *firmiora*, quibus impar dehìnc ſit *flammarum* invidia.

---

Sect.

## Sectio Secunda.

### *De Peſtis Aitiologia, & de Contagio.*

CUm inſtituti noſtri conſilium fuerit *nuperæ* præſertìm *Peſtis* originem inveſtigare, & ejuſdem *cauſas* tum *manifeſtas*, tum *occultiores* percontari, omninò quidem à re noſtrâ alienum arbitror pro *ſcripturientium* more univerſas *cauſarum ſupernaturalium*, *præternaturalium*, & *Naturalium* Claſſes ſeriatìm percurrere, ut in *illâ* propemodùm *infinitâ*, non minùs ac *incertâ enumeratione* interminata, & rudis admodùm *mali* tam *efferi*, & *monſtroſi* delineatio exhiberi poſſit.

Ut veritas è *Democriti* puteo eruta in aprico collocetur, & *Luis* genuina indoles detectâ fronte prodeat, *unicam* neceſſe habeo *Hypotheſin* prælibare, cui innititur totius argumenti pondus: ſcilicet *Peſtis* morbos inter *vulgares*, & *populares*

facilè *primatum* obtinens, à *Cauſâ* pendet æquè *Communi*, & effectui publico *omnimodè æquali*; hoc dato, rationi haud diſſono, *omnifariæ* quotquot occurrunt *Cauſæ particulares*, & *Privatæ* (quarum elenchus perquàm locuples) è *publicarum* cenſu unicâ velut liturâ delentur.

Ad *Peſtilentiæ noſtræ* originem propiùs quod attinet; equidèm ampliſſimâ teſtimoniorum invictorum Authoritate munitus aſſerere nullus dubito, illam *mediante contagio* Inſulam hanc primitùs invaſiſſe; utique ex Hollandia fuiſſe *trajectitiam*, advectis ſcilicet hùc mercibus è *Regione illâ*, in quâ anno proximè elapſo ſtragem ingentem ediderat: ſiquis autem in ulteriori diſquiſitione ſollicitus, primordiiſq; *hujus Peſtilentiæ* eruendis, ſciat velim (modò Famæ ulla fides) ab *Imperio Turcico* unà cum *goſſipio*, cuſtode fomitis peſtiferi fideliſſimo, in *Belgium* delatum fuiſſe *Luis* Seminarium; quæ Orbis plaga vix unquam (ſicut perhibetur) ab eâ immunis, licèt ibidèm nunc *ſævior*, nunc *mitior*, & magis *pacata* fuerit *peſtis*, juxta *aeris*, *corporúmque* iis in Regionibus *temperiem*, ac *conſtitutionem*; ſi tamen cuipiam

Natales

*Natales Peſtilentiæ* altiùsindagandi animus, & illius *educationem* intimiùs noſcendi, *Plagam*, quâ *auram* duxit *primogeniam*, luſtrare, varias, anomoláſque *aeris* mutationes, *ſiccas*, *humidas*, *calidas*, & *frigidàs* repentino, & motu irregulari ſe invicèm prementes animadvertere, ei incumbit; unde miram *miaſmatis peſtiferi* varietatem elicere, *alterationes* utique quas ob diverſam tranſplantationem *Lues* ſubiverit, detegere, haud difficile penſum foret.

Verumenimverò, nè in *Cauſarum* explicandarum limine præcipiti nimis gradu proſilire arguar, atque ad opprobrium *Atheiſmi* averruncandum (fateri pudet Medicorum filiis haud inſolens) nè (inquam) in *cauſarum ſecundariarum* ſcrutinio operam navans, *Cauſa* (prout Scholæ dictitant) *Cauſantis*, cui veterùm, & Neotericorum plerique *primariam* attribuunt Peſtis *originem*, parùm meminiſſe videar, *Profeſſionem ſequentem* hìc inſerere apprimè neceſſarium duxi.

Scilicet *Peſtilentiæ* τὸ θεῖον non religioſius ab aliis quibuſcunque, quàm à me agnitum, noverint Univerſi; poſſe *Omni-*

 *potentem*

*potentem* pro *Authoritate ſupremâ, & beneplacito inviolabili, quandocunque Illi viſum fuerit, gladium ſtringere, arcum intendere, & ſagittas emittere peſtilentes*, non ſolùm *Sacræ paginæ* apertè, ac palàm evincunt; verùm & retroactorum temporum *experientia*, & *obſervatio fida* pleno ore ſuffragantur: neque minùs in *Peſte hâc*, quàm præeuntibus, *Iræ Cœleſtis* indicia erant admodùm conſpicua; clariſſima ſaltem emicuit tanti mali *Permiſſio Divina*: quandoquidem *Hæc Dei Opt. Max. Magnalia* longè ſupra Captum humanum poſita (Mortalibus ad Tanti Jubaris fulgur cæcutientibus) detegere non Conceſſum, ſupplicia tamen à *Creatore* cœlitùs miſſa, delicta noſtra *paternè*, & *leniter* caſtigante, venerari, & *flagellum* deoſculari nos decet. At manum de tabulâ, nè forſan in me faba cudatur, quaſi falcem in alienam meſſem immiſſurus *eſſem*. Quod ad *rem* ſpectat *medicam*, ubi *Cauſæ naturales* præſtò ſunt, ad *ſupernaturales* confugere, tum *Arte Hippocraticâ* indignum, tum *Rationi* ſummè injurium reor.

Hoc præmiſſo, demptoque offendiculo,

recta jam patet ſemita, quam ingreſſi *Peſtis indolem*, ac *naturam* aſſequi poſſimus: Methodi gratiâ diſquiſitionem à deſcriptione *Peſtis* generali exordiar, quæ utcunque minùs ad Veterûm placita quadret; ſi tamen æquâ mentis ſtaterâ perpendatur, *tabula* haud iniquè haberi queat *Vetiva*, in *Veritatis* templo ſuſpenſa ab *ejus Alumno*, & *cultore obſervantiſſimo*.

Peſtis deſcriptio, viz.

Peſtis eſt morbus, ab Aurâ venenatâ, ſubtiliſſimâ, maximè exitioſâ, ſimul ac Contagioſâ, complures eodem tempore diverſarum Regionum corripiens, à peculiari potiſſimùm Spiritûs Nitro-aerei alteratione velut Corruptivâ, ortus, cum Febre utplurimùm, et aliorum Symptomatum perquàm graviſſimorum Satellitio ſtipatus.

Non magìs manifeſta, & clara Lux meridiana, quàm particularum harum quarundam ſenſus; earum explicatio ex aliorum eruditis Commentariis tam proſperè erui poterit, ut oleum, & operam perdiderit, qui velit illuſtrationi inſiſtere; in obſcuris dilucidandis paulò obnixiùs inſudandum.

Imprimis dicitur eſſe ab *Aurâ*, utpote inter *quam*, & *terreſtre*, ſeu *fæculentum toxicum*, diſcrimen ingens: *Hæc* ſcilicet omnes dedignata cancellos neutiquàm coerceri poſſit, tam *rara*, *ſubtilis*, *aerea*, & *pneumatica*, ut *exiles* ipſiuſmet aeris *porulos* facili negotio ſubintret, & penetret, illi hoſpitio juncta; quod autèm fixum, compedibus velut injectis, intra ſuam mineram, & certos limites, fugæ incapax, detinetur.

*Venenata* additur, ob proximam cum omni *Veneni* genere affinitatem, *utriſque* vitæ *adverſiſſimis*, & ægros *ritu*, & *methodo* haud *diſſimili* perdentibus; diſcrepantia in *gradu* potiſſimùm ſita videtur; nempe Luis *facultas deleteria* quibuſcunque *mineralium* tincturis Arſenicalibus, *animalium* maximè viroſorum, aut *inſectorum* veneficæ naturæ, vel *exquiſitiſſimis* eorundem *putreſcentiis*, *vegetabilium* denique *aconitis* multis paraſangis antecellit: quin & *Lues peſtifera* omnium venenorum *naturam*, ac *ferociam* participare videtur, cui in rerum natura par non datur; utpote in *quâ* conſpicuè eminet *putredinis* & *malignitatis* perfectio. Eximia

*Luis*

*Luis* malitia uti in *plurimis*, ita præſertìm in *puero quodam* ſe prodidit, cujus *cadaver* in ipſo mortis articulo *ſubviridem* induit *colorem*, quo à *matre* conſpecto, *mulier*, quid rei exploratura, noſtras quàm properè acceſſit ædes, ſolicita ſuſpicione me *toxica*, medicamentorum vice, exhibuiſſe; remedia autem erant *Alexipharmacorum* tutiſſima, nimis ſerò data; *viridis* interim *tinctura efferam*, *veneficam*, & quaſi *Vitriolatam* morbi *indolem* abundè manifeſtavit.

*Subtiliſſima* nuncupatur, tum ratione *primævæ ſimplicitatis*, priuſquam è *minerâ ſuâ Centrali* exhalaverit; tum ob *miram defæcationem*, dum per varios terræ anfractus tranſiverit, ſive tranſcolata fuerit; tanquam *ſublimata* ſummè *volatilis*, ultra *meteororum* geneſin è vaporibus *craſſis*, *corporeis*, *ponderoſis*, & *mixtis* Conſtantium; immò *fulgur* illi cedit; ictu oculi ineffabili celeritate corpora è *longinquo* putrefacere, interficere, & Sphacelationes inſtantaneas inducere potens eſt.

Quoad *modum cædis*, plerúmque tam Clandeſtini ſolent eſſe Peſtilentiæ aggreſſus, ut correpti velut ex inſidiis opprimantur,

mantur, neq; veſtigia *ejus* odorari detur: Increpandi itaque, & habendi ſuſpectæ fidei, qui *ſenſibile* voluerunt eſſe Luis *ſe-narium*, *olfactui* nimirum, & *viſui* ſubjectum; dum quidam (credat *Judæus*,&c.) *hauſto odore ſuavi*, velut *rubi florum* menſe Maij prodeuntium, ſive *aliorum gratiſſimorum*, ſe correptos opinati fuerint: alii è contra quaſi *cadaverum putridorum* effluvia naribus ſe ingerentia incuſarunt, quinetiam nonnulli mirè Lyncei, ſe nubeculam rubram *peſtilentiâ* gravidam à *Cœlo* dilapſam conſpexiſſe crediderunt, pluraque id genus, *nimiæ*, *faciliſque credulitatis*, aut *phantaſiæ vitiatæ* commenta; potiúſve *timoris* omnia *ſiniſtrè interpretantis* Symbola: attamen non is ſum qui inficior *Auram hanc ſubtiliſſimam* ſæpenumerò *corporibus craſſioribus*, *pinguibus*, & *denſatæ materiæ* immixtam, & fore *olfactu* & *conſpectu* perceptibile, de qua re alibi.

Quàm porrò *Exitioſa Lues*, ſi ſtrages in priori Sectione *memorata*, ad *perniciem* illius *inſigniendam* neutiquàm ſuffecerit, minimè res eſſet operoſa, innumera *homicidii*, & *tyrannidis inauditæ* exempla in medium

nedium proferre: hinc *Peſtis* apud *He-*
*ræos* appellatur דבר quaſi *perditio*, aut
*es perdens*; perinde ac ſi ad Univerſum
enus humanum funeſtandum nata, &
pta eſſet: proinde *Lues* dicitur à λύω,
uòd diſſolvat, *perniciei certiſſima*, cujus
uidem fatalitas in *Peſtilentiâ exquiſitâ*
gregiè perinſignis, quâ, *Lues* non tam
arat exitium, quàm in cædem ruit ex-
edita, cujus ineffrænato furore *Regi-*
*nes quaſdam* devaſtatas fuiſſe ex *Anna-*
*ium* monumentis, *veterûmque* commenta-
iis luculentèr conſtat.

Lues demùm *Contagioſa* vocatur;
uoniam eò impudentiæ ventum eſt, ut
liqui luce meridionali occæcati, in *Peſtis*
*ontagium*, argumentorum vice, *ſuas*
romere *hallucinationes* auſi fuerint, &
*upera Peſtis* noſtrâ teſſerâ ortum *Conta-*
*io extraneo* debuerit, atque etiam pro-
agationem; ad omnimodam litis ſolu-
ionem expedit naturam *Contagii*, *rataſque*
*ges* compendiò tradere; priuſquam ad
oc penſum me accingam, cætera *deſcrip-*
*ionis* membra tractanda veniunt.

Accedit nimirum, quòd *Peſtis com-*
*lures ſimul diverſarum* Regionum aggre-
ditur

ditur, ad eam diſtinguendam, tum *morbis* endemiis, h. e. *uni loco appropriatis*, atque etiam à *Sporadicis*, qui licè *populari impetu* graſſentur, *huic* tamen aut *alteri Regioni*, & *terræ tractui ſparsìm*, & ſecundùm *Cauſarum procatacticarum* apparatum, non minùs cenſentur *peculiares*, quàm *pernicioſi*; ſed ſermone ulteriori his de rebus abſtineo.

Jam tandem haud intempeſtivum erit, ut vela reducam, dilucidaturus, quonam pacto *Lues à peculiari potiſſimùm Spiritûs nitro-aerei alteratione*, *velut Corruptivâ*, *oriatur*: Hic labor! hoc opus! novitatem rei nemo intuitu primo in malam partem accipiat; quàm vera ſit Hypotheſis hæc, id ſequens examen docebit; Verùm ut firma ponam fundamenta, quædam præfari fas ſit.

Primò, *Spiritus nitroſi Centrales* tranſpiratione Copioſâ, & perenni, verſùs terræ ſuperficiem, ad omnifaria *Naturæ* diſpendia jugitèr reſarcienda, & varios uſus, paulò pòſt dicendos, *undiquàque effluunt*, & *Emittuntur*. Ab hâc *minerâ ſalinâ*, per Univerſa terræ viſcera, *influentias vegetas* diffundi, conſimilitèr ac *lucem*, *Calo-*

*remque*

*mque vitalem* à *Sole* aeream regionem
t, tantisque virtutibus impregnante, &
itante, impertiri, apud neminem pro
credibili, & abſurdo habeatur: Siquis
ſuper conjecturæ locus, utcunque
aximâ diſtent intercapedine *Sol*, &
*ntralis Sal*, mutuos tamen Depereunt
nplexus, velut magnetiſmo quodam.

Equidem neſcio an detur par amicitiæ
njunctius: quidni etiam eodem modo
fonte emanent, vel immittantur *hi*
*iritus*, ac *Radii Solares*, *tum particu-*
*rum emeritarum* protruſione, tum *fer-*
*entatione*, ab *acidorum* forſan commix-
one; verùm hæc recondita, hæc in-
luta, intimi quærant *Naturæ conſulti*,
*aruſpices*. Plenam huic Hypotheſi fidem
ferre videtur *Experimentum ſequens*, viz.
uis *ineunte Vere*, ubiubi *Sol* nos ap-
opinquare ſolet, *terram* effoderit;
jus *infuſione*, *filtratione*, & demùm
*uoris lixivialis evaporatione*, v. a. e.
ractis, in organi fundo plus ſextante
*lis* reperiet, quàm ſi aliis anni partibus
ale-nitroſo licèt non tantâ copiâ varias
caufas ad neceſſarios tamen Naturæ
us vel illis temporibus effluente) ean-
dem

dem *terræ* quantitatem ſimili artificio tractaverit: Præter diſpendium incredibile *particularum ſubtilium*, adventu ignis *pennatarum*, & *avolantium*; unde (ni fallor) manifeſtò liquet, tum præmemoratum dari *ſpirituum ſalinorum effluxum*, & velut *ſublimationem*; tum quoque *ſpiritus Salinos* Sympathiâ quâdam *Flammam ſuperiorem* Concomitari. In *dictorum Spirituum* energiâ explicandâ nè ſim multiloquus, ſciat hæſitator *horum* virtute non tantùm *Vegetationem* peragi, reſeratis ſci: fibrarum cannulis, & amicâ, nec non ſalaci *eorundem* inſinuatione; *Aerem* verò *ſpiritibus* admodùm *vitalibus* conditum, *Creaturis quibuſcunque*, juxtà ac *Humano generi ſalubrem*, & beneficum reddi. Ab *iiſdem* inſuper *ſpiritibus nitroaereis*, modò illibatis, *ſanguinis*, *ſuccorumque* ſtatum optimum, *ſpirituum* diſperditorum redintegrationem, *langventiumque* reſtaurationem pendere; nec non viſcera, membraque omnia, viz. totius Corporis εὐκρασίαν, ab eodem nitro, vigorem, & integram mutuari ſanitatem, conjecturâ augurari quid herclè abſurditatis? Nec

quic-

uicquam videtur vero magis' congru-m, quàm *eidem Fonti* cruoris *ſalſuginem* eberi, & nequaquàm *particulis ſalinis* itèr *ingeſtis*, vel *mineræ ſalinæ* nuſpi-m loci in corpore humano etiamnum epertæ; neque inſuper meâ duntaxàt pinione nixus aſſero *huic Spiritui cocci-eum colorem* acceptum referre *ſangui-em*, atque *ſalem prædictum* citra ignis cceſſionem, & vim, *purpuraſcere*, tum uoque fuſum *rubeſcere*, & eâdem lege ios ſimilitèr poſſe liquores *tingere*: Cùm ulla nos ex adverſâ parte premant ar-umenta, hâc in re pluribus verbis com-orari nolo.

Secundò, Diverſimodè alterari *Spiri-um hunc Nitro-aereum* multifariàm con-ngat; vel ſci: ratione *Primarii*, & (ſi c loqui liceat) *Seminalis inquinamenti*, ve & frequentius longè, ratione *acciden-lium, adventitiarumve impuritatum.*

Quandoque *Sperma Univerſale* langu-ſcit, degener fit, intràque ſuam matri-em tincturâ imbuitur, *Vitalitati*, & *Na-ræ balſamicæ* inimicâ, & plerumque ontrariâ: Quotieſcunque hoc evenerit, oties Terrarum Orbi bellum indici quis igno-

ignorat? atque etiam hinc *Luis Univerſa-lis* cauſam veriſſimè deduci poſſe: ſin verò dicta Alteratio *privatim*, ſin *modis fortuitis* illata fuerit, eventus hujuſmod accidere ſuſpicor, vel propter nimiam *ſpiritûs Nitroſi* dilutionem, à *pluviis* frequentèr *immodicis*, ac *intempeſtivis*, unde *vapores* exhalant, & elevantur *inſulſi*, *crudi*, & *inſalubres*; ab humiditatis quippè prædominio vim oriri putrefactivam omnibus in Confeſſo eſt; unde *Vermium* & *reliquorum Inſectorum* examina, Peſtis adventum imminentem certò præmonſtrantia: quinetiam ſæpe fit, ut *ſpiritus vitalis* ſiccitate gaudens, à *pluviali conſtitutione* propemodùm extinguatur, & tantùm non *diluvio* pereat; *cujus* ſi virtus vel tantillùm imminuta, proh quantum exinde *humano generi* nocumenti! quod in locis paluſtribus abundè conſpicuum; ubi ob *putres*, & *ſonticas exhalationes morbi* quotannis *pernicioſi* graſſantur.

*Spiritus* porrò *Nitroſus* intra terræ penetralia à Calore præfervido illum vehementer urgente nonnunquàm *alterari* queat; præterquam quòd à *foco extraneo*, & tam *præcipiti ſublimatione*, *Spiritus* hic

hic *effætus* reddatur; *vi* nimirum *balſamicâ* orbatus, quam precor abſurditatem ſapit, poſſe illum *calore tanto* accendi, & *fuſum empyreuma* contrahere? à *quâ aduſtione* varias proficiſci ægritudines veriſimillimum reor: hinc etiam *vegetabilium* νέκρωσις (recepto conterraneis meis vocabulo **Blaſts**; hinc *pecorum* improviſa Lues; poſtremò hinc dira ſæpenumerò *mortalium* ſtrages.

Ut hæc abſolvam, fieri poteſt *Spiritum Nitroſum* varios terræ anfractus permeantem, *defæcationis* vice, *halituum venenatorum corruptelas*, & *inquinamenta* participare, *eandem labem*, ſive à *mineris Arſenicalibus*, *aliiſve id genus*, acceptam, *Aeri* confeſtìm impertire: Hoc quidem in *Plagis Africæ Occidentalibus*, ſub *Æquatore* poſitis, crebrâ obſervatione ratum, & confirmatum habemus; in quibus *pluvia* virtute *ſepticâ*, & adeò *cauſticâ* impregnata, ut *Veſtes* è veſtigio, *cutim* utque coinquinet, & propedièm *maculis*, velut *ſtigmatibus peſtiferis*, inurat. Quæ res cùm ita ſe habuerint, nemini inſtar miraculi ſit, poſt magnos *terræ* motus *Luem* ſævire, quibuſcum *ſpiritus* hâc de causâ

*veneficus* explodi conſuevit. Quin & *Nitrum* tinctura impurâ, & aliquandò lethiferâ *imbutum*, ſuâpte ſponte, tanquam, *acidi* occurſu, qua data porta tentat eruptionem, & in tranſitu, vel fugâ, *malignitatis* veſtigia poſt ſe pluriès relinquit: ita ut *Animalcula ſubterranea*, viz. *mures*, *talpæ*, *ſerpentes*, *cuniculi*, *vulpes*, &c. malum futurum *præſentientia*, latebras, & cavernas deſerant, & ſub dio in medium prodeant, ſe cautiùs *ſubtrahentia* à periculo, & *peſtem* idcircò imminere præſagientia: Hinc ſubitanea *piſcium* interemptio: hinc quoque *Aves*, ingruente Lue, volatu opportuno ſibimet conſulere ſolent.

Hiſce interìm preſſiùs explicatis, ſupereſt ut enarrem, quo pacto *Spiritus Nitroſus Alterationem*, *quodammodò corruptivam ſæpe patitur*, qui vulgò perhibetur *incorruptibilis*, & à rebus cæteris procul arcet *putrefactionem*.

Ad cujus nodi ſolutionem non *vulgari*, *ſtrictoque ſenſu corruptionem*, velut *humiditate* ortam, hìc accipi dicendum; ſed *peculiari*, genioque *Spiritûs Nitroſi* magis congruo; qui, ſin minùs corporum aliorum

aliorum more *putrefiat*, ſi tamen *prævari-caverit à ſtatu*,& *figurâ*, non poſtmodùm *reducibilis*,minimè videatur durius dictum *alterationem talem*, *aliqualem* appellari *mortificationem*, *vitalitate* nimirum *deperditâ* & *novâ facie inductâ*.

Hoc ampliùs duplici argumento invictum dare conabor.

Primò, Quod *Arte* peragi poteſt *Naturæ* ſimiâ, id conſilio, & operâ *agentis potentioris* confici, haud ambigendum videtur; ſed quædam *Salis* velut corruptio à legitimis Chemiæ Filiis inſtituatur; neque res eſſet *Herculei laboris* operationis methodum hìc detegere, niſi pro ſummo haberetur piaculo tanta *Naturæ* arcana futilitèr propalare. Sin minùs *authoritas mea* ſatis apud nonnullos in hâc re ponderis habuerit, illos ab effectu ratiocinium non rejecturos fore confido. Ex indole & naturâ *Spiritûs Salini* de ejus *vitio* & *alteratione*, velut *corruptivâ*, argumenta brevitèr adſtringam. Quandoquidem itaque Authoritate *Veterùm* quorundam ſanciatur, *Ignis elementum* utpote *degenerationis*, & quaſi *corruptionis* capax, *Luem peſtiferam* excitare poſſe,

ratione ductâ ab eximiâ *Ignis* ſubtilitate, multiplicatione *ejus* immensâ, nec non celerrimâ propagatione; qualitatum quippe harum *Lues* ad amuſſim compos. Quod illi de *Igne* ſomniarunt, mihi non alienum eſſe videatur de *Spiritu præfato* ſaniùs philoſophari, ipſiuſmet æmulo. Certè latet me, an quid in universâ *Orbis* machinâ occurrat *Aurâ peſtiferâ* ſubtiliùs? atq; ideò *miaſmata peſtilentialia* in *Sacris chartis Sagittarum nomine inſigniuntur*, in caligine *volutantium:* utcunque ſcopum certocertius feriunt, & ob figuram præpilatam igniferam meditullitùs penetrant; noſtram tamen fugiunt vel contemplationem.

Quoad *multiplicationem*, cum ab uno homine, ad hominum neſcio quot mille *ſeminarium peſtilens* delatum fuerit, de jugi cum *igne* ſuimet communicatione quænam controverſia? exuperans *Antimonium*, quod ultra millies infuſum *primævæ* tamen tenax eſt *virtutis:* quàm denique *inſtantanea* Luis peſtilentialis *diffuſio*, ſatis apparet, cùm pari, ac *Lux* agilitate diſſeminentur miaſmata peſtifera: pluribus autem ſuperſedeo, quo-

uſque

uſque ad *Contagii* explicationem deventum.

Secundò, Cujuſnam ſint farinæ *effluvia peſtilentialia*, à peculiari eorundem in *ſalinas* corporis humani *particulas* influentiâ, luculentèr patet. Etenim nil tantâ efficaciâ, & energiâ in *ſalem* agat, ac quod *Salinum*; quid autem clariùs quàm *Spiritum hunc Nitroſum præpotens* adeò *eſſe Alkaiſt*, ut ab *illo* ſanguinis *fibræ* ocyſſimè corrodantur, ac diſſolutæ ſint; poſt *fatales* itaque *hæmmorrhagias* nullâ *frigoris* acceſſione, aliàs *congelativi*, vel tantilla obtineri potuerit cruoris fuſi *coagulatio*; & quoties ex accidenti illa acciderit, quidni à *prænominati ſalis* fixatione liquores, ſuccoſque *congelante*, aut ſaltem motum eorum rapidum aliquantiſper *tardante*, toties *ſtagnationem* proficiſci autumemus: Item haud parùm ad rem noſtram adfert momenti, quòd *Spaſmi*, fideles *Peſtilentiæ* Socii, *liquori nervoſo* ſalſo nimis, & propterea acri, & vellicanti, originem debuerint, de quibus infrà.

Adhæc, Luis *propenſa*, & *intima* cum *Scorbuto*, *aliiſque morbis* minerâ ſalinâ

prognatis, complicatio, parentelæ ejus ſuffragatur; quorum *ſimultaneam* & *gemellam* eſſe generationem palàm tum evincit *mutua confœderatio*, tum *ſimilis*, & velut *connata* Contagii *propagatio*, licèt cæteris dominata fuerit *Peſtis*; uti poſteà dicetur: atque hinc forſan *incolæ maritimi*, inter quos *affectus ſalini* potiſſimùm graſſari ſolent; non aliâ de cauſa *Lui peſtiferæ* magis obnoxii: hujus ſci: aſſertionis veritatem oppida in *Britanniâ Noſtrâ* Mari finitima non ſine ſummo experiebantur incommodo.

Ultimò. ſi à *Curationis ſcopo* argumenta petita valuerint, exin haud perperàm colligatur, *Spiritus Salinos* peſtilentiæ ortui plurimùm conferre; in *Lue* nimirum *medendâ* expertus, cordatuſque medicus, hoc ſibi dare ſolet negotii, viz. ut *medicamentis* (modò omnia ex voto ceſſerint) *prophylacticis* Contagii invaſionem precaveat; cujus ut compos ſit, *remediorum* præcipuè *oleaginoſorum* uſum laudat, & pro Authoritate imperat; nempe hoc conſilio, ut *Ventriculus* bellè *oblinitus*, & quaſi *emplaſtratus*, ab *acutiſſimis*, & *corroſivis effluviis* omninò *intactus* ſit &

*ſalvus*;

*ſalvus*; nec non in hâc paritèr, ac methodo pharmaceuticâ opportunè elaborandum, ut *Spiritus ſalinus veneficus* Alexipharmacorum & Diaphoreticorum ope dictum factum eliminetur; eò quòd rei medicæ mediocritèr peritum nequaquàm fugit, hujuſmodi evacuatione *Salinas particulas* longè copioſiùs, quàm aliâ qualicunque excerni: *Sudor* porrò *effluens*, dum correpti *dolores* præſenſerint pungitivos, velut aculeis laceſſiti, (quod in *lue nuperâ* exploratiſſimum) rem totam extra omnem dubii aleam ponere videatur; præſertìm cùm *Sudor*, quò magis proficuus, eò *ſalſuginoſior*, ubi autem *inſipidus* fuerit, morbum ingraveſcere, & mortem impendere ominis haud ambigui.

Proinde in Curatione adminiſtrandâ *fermentorum domeſticorum* à Contagio vitiatorum *emendationem*, & *reſtaurationem* jugi opere moliri neceſſe habuimus, ſaliumque fuſionem omnimodâ induſtriâ impedire; quæ omnia extemplò præſtitêre *Salium multifariorum* præparationes, quæ (ſicuti modò allegatum) in *ſpiritus ſalinos* vim athleticam exercere,

& diverſimodè illos immutare, immò & renovare queant, propter congenerem utrorumque genium, ac naturam.

*Excreta* demùm correptorum ad hypotheſin firmandam ampliſſimo ſunt teſtimonio; *vomitiones* enim *enormes* cùm nil magis quàm *amarulentiam* ſapuerint, unde ab *acredine* & *vi corroſivâ* ventriculi *nauſea* & *inceſſans ſubverſio*: item *dejectiones* cùm fuerint *ſpumoſæ*, & poſt excretionem diu *turgeſcentes*, quis amabò de *ſalinâ qualitate* ampliùs dubitabit? ſed plenius de hâc re alibì: ut abrumpam itaque hujus argumenti moram; ſci. *poſitio hæc* primâ licet facie *nova*, non eſt à *Veterum* doctrina protinùs aliena, quam potiùs illuſtrat, explicatque: quorundam proditur ſententiâ *choleram ſinceram* in corpore humano *putreſcentem*, *ignemque ipſum Naturæ* (ut ante) *corruptum* poſſe *incendium peſtilentiale* excitare; quod hi de *cholerâ*, illi de *ignis corruptelâ* imaginantur, nos ſanè rectius de *ſpiritu ſalino vitiato*, apertiſſimis tot effectibus etiam adſtipulantibus, aſſerere poſſimus. Cæterùm nè diutiùs circa hanc diſſertatiunculam in ſalebris hæreamus; ſi tanti eſſet

otii;

otii, cauſas omnifarias ab *Authoribus* huc uſque evulgatas recenſere, facilè oſtenderem inter eas, vix ullam adhuc repertam, quæ cum noſtrâ hypotheſi cominùs digladietur: utcunque ſit penes unumquemque diligenti habitâ collatione, vel hæc æqui bonique conſulere, vel ea rejicere: mihi autem certiorem monſtret viam, cui hæc diſplicuerit ſemita.

In deſcriptione traditâ Sequitur *cum Febre utplurimùm*, nempe in *hâc peſte*, uti ac in *aliis præterlapſis* quidam citra *horrorem*, *ſitim*, & *apertam* febris *acceſſionem* obiêre, nil prævii incommodi præſentientes. Caſum unum, aut alterum (miſſis reliquis) in confirmationis ſuppetias ſuccenturiare non tædebit; *Matrona* quædam familiæ toti ſuperſtes, integrâ adhuc valetudine, pectoris regionem luſtravit, quam *maculis fatalibus* obſitam proſpiciens, nihil minùs, quàm *Luis invaſionem* ex hiſce indiciis hariolata, brevi exanimata erat, nullo alio ſymptomate *morbum*, vel *mortem* præmonſtrante.

*Juvenis* inſuper *habitu enſarco*, & valenti corpore, poſtquam ex improviſo *ſtigmatibus peſtiferis* inuſtum detexerat, id

id genus fucata, & ementita conjiciens ſigna, quòd belliſſimè valeret; quem tamen intra trihorium, quatuorve horas ſuccubiturum veriſſimè medicus judicavit.

Quantumvis autem *Lues* tam *expeditè*, & *celeritate tantâ* interdum occiderit; ſive *cerebrum* derepentè *ſiderando*, vel *cor*, *pulmones* aut *alia viſcera* primo congreſſu mortiferè afficiendo, ſive *ſpiritus vitales* extinguendo; ita ut nè vel *occulta* appareant Febris *phænomena*, utplurimùm tamen *peſte nuperâ gliſcente* correptos *febricitaſſe* experiebamur.

*Febris impetum* cunctos ferè quotquot correptos ſuſtinuiſſe, nemo hominum mirabitur, cui *ſpiritûs nitroſi* indoles, præſertìm corrupti, probè cognita, utpote leviſſimâ de causâ *flammam* concipientis, & *calorem utique febrilem* cientis: *febris* autem *peſtilentiæ noſtræ* comes, admodùm erat *infida*, & *peſſumi moris*; ratione *reverſionis*, & *motûs*, nunc *quotidianæ*, nunc *tertianæ* typos ſimulare viſa; veluti *ſtata*, aliquales interdum dabat inducias, mox tamen prælium magis, magiſque incaluit: Pax nunquam plena conceſſa,

conceſſa, quædam duntaxàt pugnæ ceſſatio, horulæ unius, aut alterius ſpatio præfinita, perpetìm in *principio* variâ victoriâ pugnatum, *inſultus ſecundi*, & *tertii* majori cum atrociâ recurrebant: hæc impræſentiarum conſultò miſſa facio, de quibus infrà.

Tandem aliquando ut fidem datam liberem, de *Contagio*, quantâ licèt brevitate, differendum, viz. ut *morbus* audiat *Contagioſus*, *infectio per vicinitatem* neceſſaria omninò cenſenda, quamvis neque *Communitèr* vagetur, nec *fomitem* projiciat, nec in ſemine lateat *vis deleteria*, plurimoſve *perdat*.

*Veneni* interìm *peſtiferi* labes, non tantùm *Contactu mediato*, vel *immediato* â *ſubjecto uno*, ad *alterum* transfertur, Conſimilia accerſens Symptomata; verum omnes quæcunque *conditiones* in illâ eminent radiis Solaribus magis conſpicuæ: Quamobrem Elumbia *quorundam* argumenta correptionem peſtilentialem *Contagio* non coortam eſſe adnitentium, vel commemoratione protinus indigna exiſtimo, *rationi* ſci. & *experientiæ* quadantenùs diſſentanea: Poſtquam *Contagii* leges,
&

& methodum explicavero, nemini (ni fallor) hâc de re in dubio erit animus.

Quatuor præcipuè ad *Contagium* requiruntur.

Primum, Seminarii Contagioſi effluxus.

Secundum, Medium Commodum per quod tranſeant, & tranſvehantur miaſmata.

Tertium, ad effluvia, ſive halitus recipiendos, & illos intimè, & amiciſſimè fovendos ſubjecti aptitudo.

Quartum, Debita veneni Mora, de quibus ſigillatìm.

*Inſenſilem* corporis humani *tranſpirationem* evacuationes reliquas facilè *exuperantem*, ſupplementa ad quotidiana *ejus* diſpendia opportunè reſarcienda neceſſariò ſubſtituta, tam apertè demonſtrant, ut nihil quidem magis conſpicuum: Ubi autem *Peſtis* quempiam aggreſſa fuerit, morborum *Coryphæus*, propter *ſummam* liquorum exagitatorum *Colluctationem*, *inteſtinamque contentionem* expirationes majori copiâ excernuntur quàm ſanitate integrâ; hùc Spectat *Cl. Sanctorii* obſervatio, viz. quòd ægri *Contagio peſtifero* perciti, illicò minùs evadunt

vadunt *ponderoſi*, effluviis qua data via
orrentis inſtar ubertìm effluentibus;
tenim ea eſt *ſeminarii peſtilentialis* ener-
ia, ut actutùm halitus craſſiores *ſubtiliare*,
nmò & *acuere* queat, ita ut effluvia *moræ*
npatientia, aculeis unitis, punctìm, velut
ineis adactis, non tam exeant, quàm
armatìm foràs proſiliant, & haud raró
*piritus*, Patriæ *Conſervatores*, unà ſe-
um rapiant: Hinc *lipothymiæ ſubitaneæ*
: *deliquia* nonnunquam *fatalia*; *halitibus*
mirum *exhauſtis*, & *ſpiritibus Fugatis*
qualitate Luis veneficâ.

Hinc inſuper colligere licet, quàm
*ffuſivum*, & *potens* ſit *ſeminarium peſti-*
*ns*, quod *tantâ copiâ* è quolibet cor-
pto expirare aſſolet; cujus interim
*por* vel *unicus*, & *ſolitarius*, uti ad
*ntagii propagationem* ſufficiens, ita *ex-*
*nſionis*, ſive *dilatationis* propemo-
ùm *immenſæ* capax: luculentum hujus
i exemplum exhibet *vapor*, aut *fumus*
*aveolens* lucernæ nuper extinctæ, qui
on tam *fuliginis* copiâ, quàm *vi diffuſivâ*,
ſuimet *multiplicatione* multum aeris
nbientis inficit, & *nidorem perin-*
*atiſſimum* in *extrema* cubiculi ſeu

*inter*.

*vallum* magis *diſſitum* projicit, & diſſeminat.

Secundò, Luis *propagationi* plurimùm confert *medium idoneum*, quo *amico* patentiore, vel *anguſtiore*, gratè excipi, expeditiùs, tardiuſve tranſmitti *miaſmata* quid magis compertum? neque magis indubium *Aerem* eſſe *hoc medium*, cujus *poroſitates* licèt *minutiſſimas* facili negotio ſubintrant, penetrantque νοσεραὶ ἀπὸῤῥόιαι, & in illis (niſi vi, quaſi, & armis propulſæ) commodè diverſantur.

Quin & *Aer* aptius cenſendum veneni peſtiferi *indumentum* ſive *vehiculum*, quatenùs *ſpiritum nitroſum* ad ſitim deplendam imbibit; unde *auræ peſtilentialis* idæam procaciùs ſuſcipit, & *illam* fideliter tanquam in *certo repoſitorio* conſervat, ac fovet: non minùs in propatulo, hos *qualitatis peſtiferæ* Charecteres (niſi prius *eraſi* fuerint, vel impulſu extraneo *excuſſi*) unà cum *aeris protruſione*, quouſque ſcopum attigerint, *moveri*, & circumferri; necnon quandoque *miaſmata peſtilentialia* aliorum *effluviorum* alitèr *figuratorum* occurſu conteri, & extingui, medio neque hinc, nec inde mutationis conſcio.

Hinc

Hinc conjecturâ haud infirmâ patet, uo pacto *ſeminarium peſtilens* in Aeris ɔculamentis fidè repoſitum, hunc putà, liumve terræ tractum vitiando, à loco 1o, ad alterum, multoties in diſſitas egiones tranſvehatur, & commigret: roinde *Aer*, ut *medium*, quo *tranquillior*, ò magis capax *impreſſionis contagioſæ*; *ci* igitur *concluſi*, *latebroſi*, & *tenebris ob-* *i* ſci. *carceres*, & *domus* occultis vallibus *nditæ*, infectioni peſtiferæ magis ob- ɔxiæ jure merito cenſentur, quàm alia *ca in aprico poſita*, & *ventis difflata*; i *effluviis malignis* vix detur figere cùm olenti agitatione *Aer* commotus fuerit, 1 facilè ventorum impetu *diſſipari ea* iis ignorat? utcunque *miaſmata* ob ntam *benignioris auræ* admixturam mi- s noceant:

Tertiò, *Subjecti diſpoſitio* ad *contagii* *ceptionem* apprimè neceſſaria, quæ vel ſpicit *ſpiraculorum corporis aptitudinem*, l *humorum noxiorum diuturnam con-* *ſtionem*: *Pori* quò magis *patuli*, & *iores* eò *faciliorem* Contagii lenociniis *greſſum* præbent; quorum *conſtrictioni*, erique gravi licet obſidione diu preſſi, *im-*

*immunitatem* debent, vix aliâ de causâ inexpugnabiles.

Humorum verò noxiorum *turgeſcentia* amentèr provocat *Luis* invaſionem, ſive *morboſa hæc conſtitutio* à ſolennium evacuationum ſuppreſſione orta fuerit, ſive ab erroneâ *ſex rerum non naturalium* adminiſtratione, potiſſimùm à *Crapulâ* quæ *humorum* ſuburra tanquam *materia præparata*, & *analoga* aſſimilationem haud difficulter ſubit peſtiferam, prout alibi diſputabitur: Præter recitatas *ſubjecti* diſpoſitiones, a re non omninò alienum videatur, obſervationem quandam proferre ſci. *Peſtem* aliquandò *dotem* fuiſſe *patronymicam*, & à *parentibus* ad *prolem* ſeminalem ejus labem tranſlatam, ſe conſeſtìm *gliſcente Lue* methodo eâdem exerentem, conſimiliter ac in *Variolis*, *aliiſque* id genus *affectibus*.

Quartò, ut ſit denique *veneni peſtilentialis debita mora* omninò convenit; certè ſi *expirationes malignæ* aggreſſu primo expugnarentur, nemini forent detrimento; quæ tamen in *glutinoſam* impingentes *materiam*, lentorem quendam ab humorum *viſciditate* adſciſcunt, *quibuſcum velut* *irre-*

*retitæ quouſque detinentur*, dùm per aditus patentes *maſſam ſanguineam* & *reliquos* ſubierint, ac infecerint *liquores*: ſic demùm *miaſmata peſtifera* in poſſeſſionem profecta, microcoſmi machinam concutere poſſint, & illam ſubvertere; quæ tamen non opus habent tam *diuturnâ morâ*, ut gradatìm altiores agant radices: ut primùm quippe *idoneam*, *tenacemque* vel attigerint *materiam* mordicùs tenent, ægrè *exturbanda*. Haud tamen incompertum habeo, poſſe interdum *ſeminarium peſtilens* diutiùs paulò in corpore humano *deliteſcere*, ubi clam ſunt *correptionis* phænomena, quouſque *eruptionis* opportunum tempus inſtiterit, in pleniorem cujus rei fidem nonnullas facilè adjicerem inſtantias, ſi res in controverſiâ; *viz.* nonnulli rus conceſsêre, poſt initum cum *infectis* conſortium; tametſi *aere inculpato* fruerentur, & per menſis unius, aut alterius ſpatium *illæſâ* eſſent *ſanitate*; velut tamen è latebris *Adverſarius* tandem exiliit, *tarditatem* hoſtilitate ſummâ ultimíſque inimicitiis *compenſans*: quidni eruptionis *protractionem*, partim ab humorum *viſcoſitate*, venenum peſtilens *con-*

*ſtringente*, partim à præpotenti *balſami innati* vi, & copiâ, item à *ſpirituum* vigore proficiſci veriſimillimum mihi videatur: nè autem in rebus apertiſſimis nimiùm prolixus fuero, hæc dici ſufficiant de Contagio.

Præter *cauſas* jam *evulgatas*, aliæ adhuc ſuperſunt non prorſus reticendæ, viz. *Carnium morticinarum*, aut *corruptarum* comeſtio; etenim haud præter rem hic recordandum, quòd anno ſuperiori maxima *pecorûm* ſtrages, ob *Autumnum* ſolito *humidiorem*, paſsìm graſſabatur; quorum cadavera plebi viliſſimo pretio vænum data, uberrimos ſanè ſuppeditarunt *humorum putridorum* proventus: Hinc (uti ſe habuit plurimorum opinio) fundi noſtri calamitas; Hinc utique nonnullis ſagacioribus *Peſtis nuperæ* originem deducendi anſa; illâ nimirum multoties *cachexiæ* ſuperveniente, ampliſſimus ſuſpicioni locus aperiebatur *eſculenta* ab animalium carne *Lue* extinctorum *confecta*, in devorantem poſſe *ejuſdem malignitatis* labem imprimere.

Nequaquàm inficior, quòd infima civium ſors dum *noxium hunc* ad ingluviem uſque

uſque heluati fuerint *victum*, apparatum cum fænore accumulaſſe, proh nimis morbificum! quocum *virus pæſtilens* firmiſſimas promptè iniverit amicitias: attamen *eſculenta hæc*, corrupta licèt, & fracida, excitantia etiam Symptomata *lui peſtiferæ* concordia, *publicæ* quidem ciendæ *Carnificinæ* non ſuffecere, utpote à cauſa privatâ, & particulari coorta, quæ *effectum* nullo modo (uti ſuprà effatum) producendo ſunt *Univerſalem*.

Exinde liquet pravam *victûs* rationem, non magis *peſtilentiam* parere, quàm *bonam*, & *laudabilem* eam domare, & extinguere; quamobrem (nè pluribus hæream) ingluviem δυσέπτων, καὶ κακοχύμων, & excellentem putredinem, eorundem ſobolem, *febres* forteàn *peſtilentes*, & *morbos endemicos* cauſare poſſe exiſtimo, minimè autem *Luem peſtiferam*.

*Pecorum Luem* ad humanum genus *trajectitiam* ſuſpicio hactenùs invaluit; ut difficultatem ſuper hâc re expediam: *Luem pecorum à communi fonte*, viz. *Nitro-aereo contaminato* emanantem, ab humanâ, non *genere*, ſed *gradu* diſcrepantem, poſſe ad *mortales* tranſmitti,

nil habet quæſtionis: ſci: *impotentior*, & *mitior aura* teneram herbam *afflare*, *virus* autem *potentius* firmiora corpora *inficere*, & *perimere* ſolet; præterquàm quòd ob *diſſimilia* cutis *ſpiracula* à *brutis*, & *variam conſtitutionem*, ſpirituum quoque noſtrorum *fortitudinem*, non inducor ut credam, *Luem pecorum* à *causâ privatâ*, utcunque *contagium* ſpargente, nos *inficiendi* imperium obtinere. Hiſtoriæ ſequentes nil me movent: paucorum nempe intra annorum ſpatium magnâ *equorum* ſtrage ubivis loci ſæviente, *Hippiatrus quidam*, ut ei cauſa tanti mali innoteſceret, cadaveris diſſectionem inſtituit, poſt *conſpectas* paſsìm *maculas*, tam *pulmonibus*, quàm *aliis viſceribus* ſcatentes, *ipſe Dominus*, omneſque ſui, ab *eadem Lue* brevi interficiebantur; *illâ* interim non ultra domum eam *divagatâ*, nec *familiâ* longæviori.

Regnante porrò *peſte nuperâ* Civis quidam, actis *Londini* negotiis, *rurale præſidium* petiturus, *equum* ſubitò *langueſcentem*, & *ſuccubiturum* perſenſit; apertis itaque faucibus, quò ſtudioſiùs *os*, & *linguam* contemplaretur, & *morbi* tam

*repentini*

*repentini* cauſam detegeret, *Vir bonus* incautè *anhelitum* equi *fœtidiſſimum* hauſit, mox ægrotare cœpit, & intra biduum expiravit.

Certè hæc, & ſimilia exempla nil aliud exprimere videntur, quàm poſſe *habitus*, ſive *vapores malignos*, humorum colluviem *exagitando*, orgaſmos anomolos, & putrefactivos provocare, quibus *ſucci*, & *liquores* juxta *cacochymiæ* vim, & prævalentiam, *veneni* varietatem, & diverſas *putreſcentiæ* idæas corrumpi queant: præfata autem *Luis* tranſplantatio, niſi ubi præit copioſus *humorum* apparatus, non datur, utpote cujus *cauſa* non eſt *Generalis*.

Quin etiam *cauſas* inter, licèt *remotiores* meritò annumerentur, *Anni intemperies*, ſubitæ *aeris* mutationes, evacuationum ſolennium *ſuppreſſio*, ἀδηφαγία ebrietas, *venus*, item *animi pathemata*, præcipuè *Ira*, & *Timor*; quæ tamen *Luis invaſionem* potius reſpiciunt, quàm *ejus ortum*; ſed de his alibi diſceptandum: Quoad *paſſiones dictas*, fidem nequaquàm ſuperat, nonnullos *Peſte debacchante* quanquam *amiciſſimæ* & *placatæ*

*indolis*

*indolis*, leviuſculam, fictamve ob cauſam in *iram* pronos excanduiſſe; hoc expertum eſt *fæminarum* par, de lanâ caprinâ, *inflammatricum* more, acritèr certans, quarum litem *mors æquiſſima* expeditè diremit.

Neque minus *Timor*, & *Triſtitia* Luis adventui viam ſternebant, *phantaſiæ* & *memoriæ* inſidendo, *ſpiritus* ſuffocando, *calorem nativum* ſupprimendo, *virus peſtilens* intùs detinendo, & id figendo, *vires* infringendo & *Luis virulentiam* promovendo: Hiſtoriæ reverà tot ſunt ad manus, quæ plenam his rebus fidem adſtruant, ut niſi *obvia*, & *nota* de induſtria mittere inſtituti fuerit, *enumeratione multiloquâ* rem eandem iterum, atque iterum repetens (quod à nonnullis perpetratum) faſtidium *Lectori* crearem.

Paucula opportunè jam ſubnectere expedit, de *Luis* à *Regione calidâ*, ad *frigidiorem* commigratione; nempe pro variis *caloris*, & *frigoris* effectibus; hujus quidem *attenuantis*, & *rarefacientis*, illius è contra *condenſantis*, & *conſtipantis* diverſimodè alterari *ſeminarium peſtilens* locupleti non opus obſervatione,

tione, ubi res ipſa palàm loquitur: Quicquid hujus generis ſub *Plagâ torridâ* longè, latèque *diffuſivum*, utpote ipſo aere *ſubtilius*, Idem ſub *cœlo boreali* maximè *conſtringi*, in anguſtias *cogi*, & *palpabile* propemodùm evaſurum vix quicquam à ſuſpicione abeſt; exinde ratio haud inconcinnè eliciatur, quòd tum conſtitutiones tum ægritudines *ſeptentrionalium*, & *meridionalium accolarum* immane quantum diſcrepent, quorum non vacat jam differentiam monſtrare.

Quò propriùs ad rem noſtram accedam, affectus *Plagâ calidâ* coorti, & eo nomine *ſanguinem cæteroſque liquores* nimiùm *accendentes*, & illos plerumque *findentes*, ad *frigidiorem* tranſlati, præfatis ſuccis *congelationem* inferre valent, & è contra: hoc experimentis innumeris illuſtrare poteram, ſi res hodiè in controverſiâ verſaretur.

Dato itaque *Luem* primò ab *Americâ* dein ab *Hollandiâ Britanniam* appuliſſe pluſquam veriſimile reor, ut quantum fuerit diſcriminis inter affectus in *Plagâ præcalidâ*, & *ſiccâ* quoad *tranſmigrationem* ad *frigidiorem*, & *humidiorem* non

tantùm ex ſuâ naturâ & origine, ſed potiùs ob *vehiculum*, viz. *Aerem* (quo mediante *Contagium peſtilens* propagari ediſſerui) *egregiam alterationem*, & in *communicatione*, & in ipſorum Symptomatum ſerie accideret: Atqui diſſimilitudo magis Conſpicuè eminet in *ſeminarii peſtilentis* complicatione intimâ cum morbis *Genti* peculiaribus, & velut ſpecificis, ad quam tranſvehitur: quod in Caſu noſtro ſpectatu digniſſimum; eò quod in *Belgio* inter ægritudines imperii clavum tenet *Scorbutus*, ideoque *virus peſtilens principio* etiam *ſalino* prognatum & illi ſanè arcto amicitiæ fœdere conjunctum, audivit *Scorbuticum*, ſicuti infrà declarabitur.

Quod ad *Cl. Kircheri* doctrinam ſpectat de *animatâ vermium fœturâ*, ingenuè quidem fateor, me vel fideliſſimo *microſcopi* adjumento eam hactenùs non detexiſſe, nec à quopiam alio, utcunque occulatiſſimo, accepiſſe tale experimentum: At dandum fortaſſis aliquid nobis *caliginoſis Inſularibus*, quibus minor *aeris* ſerenitas, haud Lyncææ *Italorum* perſpicaciæ conferenda: Verum pace *tanti nominis*

*minis* mihi à ratione omninò abſonum videtur *ſeminarium peſtilens* poſſe *dicta inſecta* producere cum fuerit & nitroſum, & veneficum.

Uti in *febribus putridis*, ita incuntantiùs in peſte, *lumbricos* fugat *malignitas*, & *illos* adhuc *vivos* cogit prorepere; tantum ſanè abeſt *eos* è dicto ſemine generari; in *ulceribus quibuſdam malignis*, & *Cancroſis*, item in nonnullorum homi-num ſanguine *verminoſa animalcula* interdum formentur, quod potiùs *ſucci nutritii* vitio peculiari, quàm *veneno* deberi reor, & ea proptèr non inter veras *peſtilentiæ* Cauſas recenſendum.

SECT.

# Sectio Tertia.

## *De Luis ſede primariâ, ubi obiter de Spiritibus, eorumque infectorum in Corpus humanum influxu venefico.*

UT controverſias de *Luis ſede* ad hodiernum uſque diem tam variè, & pugnacitèr agitatas (ſi pro virili noſtro fieri poſſit) componam; quoniam Authores nonnulli tàm *perditionis*, quàm *Vitalitatis* penes *Cor* eſſe *principatum* Statuere; nec non plerique *Cerebrum*, alii *ventriculum*, *pulmones*, *hepar* labem peſtilentialem primitùs accipere pari fervore contenderunt, operæ pretium duxi proxima, & immediata *ſeminarii peſtilentialis* receptacula palàm facere. Quandoquidem itaque *Aura præfata* (juxta hypotheſin ſupra traditam) ſubtiliſſima fuerit, & *ſpiritualis*, idoneo & adæquato vel eâ de causâ neceſſariò opus

opus habebit commorandi diverſorio : Et cùm in universâ microcoſmi machinâ minimè reperiatur *ſubjectum* magis *capax*, & *aptius*, quod *labes peſtilens* proximè aggredi queat, quàm *ſpiritus humani*, equidem ignoro ;quid abſurditatis cuipiam ſapere videbitur, ſi ſtatuerem illos *primariò* affici, & poſt conceptam ab iis labem, *corpus*, & *viſcera reliqua* viciſsìm coinquinari : In ulteriori hujus argumenti diſquiſitiones μονοσυλλαβικῶς interpretari conabor.

Primò, Quid ſint Spiritus de quibus hic agitur.

Secundò, Qualis Spirituum aptitudo, & propenſitas ad effluvia peſtifera excipienda.

Tertiò, quonam modo Spirituum vitia ad corpus tranſire, & id aggredi ſolent.

Proinde hujuſmodi eſto Spirituum diſcriptio, *viz.*

Spiritus ſunt alimenti, cæterorumque ſuccorum particulæ tenuiſſimæ, ac ſubtiliſſimæ, mediantibus calore inſito, ſpirituque nitro-aereo, ad eximiam perfectionem, & volatilitatem evectæ, ut

Animæ

Animæ inſerviant, paratiſſima ipſius inſtrumenta, atque etiam omnimodam corporis œconomiam fidè adminiſtrent.

*Materiam* è quâ conflantur *Spiritus* eſſe *Succum chyliferum*, illorum *reſtauratio*, *confirmatio*, & *vigor* à ciborum refectionibus, utique *languor*, *proſtratio*, & extinctio à negato alimento apertiſſimè demonſtrant: Utcunque *Spiritus* à *ſemine* primitus orti fuerint, *alimento* indies *ingeſto conſervationem*, & *prolificationem* debent, à quo tamen non *alterantur* ſanitate illæsâ, ſed è contra id variè *tranſmutant*, à *cruditate* & *recrementis* liberant, in *ſuccum* vel *rorem nobilem*, & *ſpiritualem* evehunt, *idæalem* retinentes *characterem*: hinc fit ut licèt quotidianum evenerit *Spirituum* diſpendium, non deficit Natura *multiplicationem comparem* (rectè ſi res ſe habuerint) excudens; re autem confectâ emeritæ *ſpirituum* cohortes fœtui adulto *prædia* dedunt *hæreditaria*, qui ſemper ejuſdem farinæ, *parentelam* fatentur; adeò ut, quouſque corpus ſanum fuerit, ſerie longâ progrediatur *Spirituum fabricatio* quorum *Vulcani* exiſtunt *ipſi Spiritus*, conſimilitèr

ac

c *lumine* accenditur *lumen* ejuſdem in-
olis, & virtutis, *ſanguis* utique præ-
ipuum *ſanguificationis* inſtrumentum.

Speculationis interìm profundioris eſt
xpiſcari, an *calore* duntaxàt *nativo*,
el *extraneo coadjutore*, vel more *ſpiri-*
*uum ſtillatitiorum* particulæ *genii* &
*guræ diverſæ*, quæ modò invicem coa-
êre, ſoluto nexu communi, viz. *agi-*
*ores*, & magis *volatiles* à *maſſâ terreſtri*
*beratæ in Spirituum albo* conſcribi dig-
iſſimæ fuerint: Verum hoc magis in-
ubium ſci. quòd *Spiritus humani* ſum-
o Naturæ conamine abſoluti, *Luce*, *ca-*
*re*, *cæteriſque influentiis* inſigniti *Solis*
dinſtar ſupereminent; quò *Lux* eorum
*arior*, quò *calor vegetior*, quò demùm
*liquæ influentiæ* magis *vitales*, eò *Com-*
*odius*, eò *expeditius*, Spartam ador-
ant; à proſpero quorum miniſterio
*mnes quotquot* in corporibus noſtris
*rmentationes* pendent, & (ut multa
aucis abſolvam) *mentis* juxta & *corporis*
tegra, & illibata vertitur Sanitas.

Haud magni intereſt dignoſcere, quæ
*piritum* copia ad vitæ humanæ *conſer-*
*ationem* ac *ſuſtentationem* neceſſaria,
dum

dum luculentiùs conſtet, *eos* de *tincturâ* *genio*, & *uſu* liquorum vel maſſæ participare è quâ eliciebantur, tum quoque pro *ſuccorum puritate*, *ſimplicitate* aut *fæculentiâ*, & *vitio*, atque *rarefactioni* *regimine* magis minuſve *limatos*, *ſinceros* vel *turbidos*; & noxios.

Me inſuper lubentius præbeo credulum, *Spiritus* non eſſe *membrorum particularium Lares*, & *accolas*, ſed pro *Animæ* imperio pro *liquorum* fluxu, pro *vaſorum*, *partiumque* contiguitate, rectitudine, & conſenſu, nunc in hæc, nunc in illa organa *motu voluntario* ſemet inſinuare vel *violento* amandari, & impelli: Hoc in vulnere *aculeo*, aut *morſu* *venenato* parti uni illato, ſat illuſtre; quò *ſpiritus* turmatìm confluunt, ut *illi* maturè ſuccurrant: Nondum itaque opinioni aſſentior de continuâ *ſpirituum* texturâ; quin potiùs illos à *genere nervoſo*, *aliorumque vaſorum communitate* citiſſimam *mali* communicationem accipere auguror.

Secundò, aliquoties contingit, ut *Spiritus* à *puritate nativâ* deſciſcant; vel in tam *minutulis ſubſtantiis* citra pulverem,

rem, & ſudorem *nævi* deprehendantur; interdum quippe *Spiritus abortivi* fiunt, pereuntq; priuſquam *Maturitatis* acmen attigerint, multoties evadunt *degeneres*, & pluries labem *ab extra* contrahunt.

Sin minus *ſucci*, vel *maſſa* è quâ condantur *Spiritus*, *uniformis* fuerit, *ſincera* & *vitii cujuſcunque expers*, planè fidem ſuperat *illos* omnes numeros, & cumulatam aſſecuturos perfectionem: pari quidem opere laterem laves, ab *impuro fonte aquam* haurias *limpidiſſimam*, ac à *chylo corrupto* & *vitiato ſpiritus* elici *vitales* & *beneficos* expectes: Si tamen *alimentum* fuerit *euchymum*, in ipsâ *Spirituum* elaboratione errores ſanè pergrandes obvenire poſſint, ſive à *calore præternaturali* maſſam ſubigendam vehementiùs urgente, ſive ab *imperfectâ*, & *inæquali* particularum *ſeparatione*, ſive à *perniciosâ* frigoris *acceſſione* cruditates admiſcente; poſtremò licèt *ſpiritus* fuerint *ſalutares*, *vegeti*, *accincti*, *motûs* tamen *anomoliâ* peccare poterunt, unde varia emergant morborum genera: Quod ad rem noſtram proximiùs attinet *Spiritus* plerumque *labem ab extra* contrahunt

hunt, *ſeminario* ſci. *contagioſo* impraegnati.

*Aptitudo*, & *propenſitas* Spirituum ad inquinamentum peſtilens ſuſcipiendum *igneam*, potiuſve *ſalinam* eorum *naturam* inſignitèr denotare videntur; quâ de causâ habitâ etiam *ſubtilitatis* ratione fædus ineunt *Spiritus* auræ quidem peſtilentialis *allectores*, longè avidiùs, quàm cum *materiâ impactâ*, & *craſſiori*, impreſſionum pneumaticarum protinus incapaci: Nempe cùm *Spiritus* fuerint (ſicuti paulò ante memoratum) *nitroſi*, *inflammabiles*, itèm *microcoſmi excubitores*, ob agnationem *veneni peſtilentialis*, aggreſſus non tam *accipiunt*, quàm eos *provocant*; quemadmodum lucerna nuper extincta (modò diſtantia non fuerit remota nimis) ratione affinitatis, flammam quaſi allicit, & ab intimo ejus amplexu accenditur: Sive demùm *effluvia peſtifera* figuræ conſimilis utcunque propter *qualitatem deleteriam* illis adverſa fuerint, res haud datur certior, quàm eos ad *labis veneficæ* hoſpitalitatem pronos, prout è ſupra dictis colligi poterit.

Poſtquam *venenum peſtilens* in ſinus *Spirituum* admiſſum, nefariè illos *cor-*

*rumpens*

*rumpens* vix fari licet, quales in corpore humano futuræ alterationes; ſci: *Spiritus* qui nuperrimè *aerei*, *lucidi*, & *ſolares*, mox *occidui*, velut noctem, tenebraſque cimmerias aſſumunt, & induunt; & tum propter *compides injectas*, tum propter *caliginem*, corpus illuſtrare, idque à morborum impetu tueri nequeunt; vel *calore vehementi*, & *præternaturali*, igniti, evadunt *empyreumatici*.

Tertiò, hiſce oratione Laconicâ perpenſis, reſtat ut enarrem, quo pacto corpus humanum à *Spirituum corruptelâ*, & *infectione* lædatur; neſcio ſanè an in rerum naturâ detur urgentius malum, quàm, ut *Spiritus*, qui Microcoſmi *Satellites Regii*, imò *Dii Tutelares*, ſuppetiarum, & præſidii vice, *deſertores* agant, & Patriæ *infidi proditores*: at at nil clariùs, quàm *Spiritus* ſub imperium, ditionemque *labis peſtiferæ* prius cadere, quàm *corpori* & *viſceribus* tantillùm mali machinentur; utprimùm nempe nobis inſidiantur *effluvia peſtifera*, ſpirituum legiones, tanquam eſſet *Hannibal* ad portas, fortitèr colluctantes, ingreſſum prohibere, & de

poſſeſſione illa dimovere, & dejicere enituntur, pro aris & *focis* certaturi; quæ tamen *prælium adverſum* facientes, & *debellatæ*, introrsùm cedunt, *quas* fugientes à tergo inſectatur *hoſtis*, *eaſque* tandem *captivas*, & *dedititias* in triumphum ducit; inermem *corporis* molem facilè expugnaturus; hâc quidem methodo *tinctura peſtilentialis* ſanguinem inficit, unde *Cor*, & *pulmones* graviſſimè patiuntur; hinc utique *ſucci nutritii degeneratio corruptiva* non ſine magno *nervoſi generis* malo; hinc *ſucci pancreatici acor adurens* ſummarum ægritudinum parens; hinc εὐτονία *corporis* labefactata, totius machinæ humanæ *eluxatio*, nec non ſæpenumerò vitæ ipſius *extinctio*.

Quod *viſcus nobile* viz. *Cor* primariam *morbi* vim perſentiſcere videtur, id nullo modo fieri conjicio, à *ſpecificâ* (ſicut perhibetur) *qualitate*, illi è regione velut *adverſante*; perinde acſi de *peſtilitatis* eſſentiâ foret tam *elata malitia*, ipſam (uti aliquibus placet) vitalitatis arcem evertere: *Cor* autem, mox ab *invaſione* injuriâ afficitur, ob vaſa *ejuſdem* multifaria, *ſpiritumq;* unà cum liquoribus *circulationem*, vel

vel denique inſpiratis effluviis peſtilen-
tialibus *aere* pallatis, propter facilem ad
id tranſitum; de quâ re uberiùs ubi ad
Signa deventum erit.

His itaque ſaltem veriſimilibus argu-
mentorum momentis freti, *Luis ſemina-
rium* in *Spiritibus* primariò nidulari;
quorundam inſcitiam non ſatis miremur,
qui inſtitutâ *cadaverum* peſte, aliiſque
d genus affectibus *interfectorum* diſqui-
itione anatomicâ, *cauſam*, & *mineram* ſe
detecturos confidunt: *Vir quidam* recon-
litæ eruditionis, & in re anatomicâ, ſi-
quis alius, probè exercitatus, ſed peſte
nuperâ infæliciter extinctus, ſe in *plexûs
horoidis angulis extremis* verſus cerebel-
um *veſiculam quandam minimam* obſer-
aſſe narravit; alii *pulmones* admodùm
*utres*, *maculiſque peſtiferis* hinc illinc
nuſtos animadvertêre; alii *Cor* mirè *tu-
mefactum*, & *ſtigmatibus*, velut nigro
otatum carbone, ſe vidiſſe retulerunt;
ntereà autem nil patentius, quàm *viſce-
a hæc* quadantenùs *campos* fuiſſe *Mar-
ios*, in quibus *Spiritus* cum *veneno peſti-
ero* manus conſeruêre: nec quempiam
dmiratio teneat, *malignitate* ſolenniter

 *tra-*

*triumphante* potitæ victoriæ *ſpolia*, & *inſignia* ubivis loci reperta jacere.

Quamobrem licèt ratum ſit, obvia, & apertiſſima *Peſtilentiæ* indicia à *cauſâ* pendere *Spirituali*, & *inviſibili*, cujus effectus tamen autopſiâ interdum detegantur, mihi non eſt in animo *diſſectiones* tanquam *inutiles* improbare, *quarum* quotidiano adminiculo *Medicina* prope jam à *conjecturalis artis opprobrio* ſe liberavit; quum verò cadaverum apertio, *peſte* jugulatorum, periculo non vacat, & vix quicquam nos de ejus naturâ edocet; certè majores Medicinæ adepto honores decernendi, qui intimè perſpectis *Spirituum origine*, *naturâ*, *uſu*, & *defectibus quibuſcunque*, artificio ſingulari optima norit *ægritudini eorum* occurrere, & *immatura* hinc mortalium *fata* præcavere.

Poſtremò, ut ſupremam manum doctrinæ huic de *ſpirituum infectione* imponam, invictiſſimum à Curationis ſcopo argumentum ſubjungatur; plus millies enim expertus ſum quod *remedia alexiteria*, & *Cardiaca*, quò *ſubtiliora*, & magis *pneumatica*, eò certius, citiuſque *auram peſtilentem* velut armis victricibus domu-

erunt;

erunt; atque è contra, quæ *craſſa*, & *fæculenta*, correptis tardo, ſi ulli fuêre ſubſidio, ſed hæc relegamus in ſectionem de Curatione.

## SECTIO QUARTA.

### *De Luis cum aliis Morbis complicatione, & imprimis cum Scorbuto.*

PEſtilentia uti omnium, quotquot ſunt morborum *Princeps*, & *Coryphæus*, ita cum iis *implicandi* gaudet privilegio; plane ut è pluſquam mille malis quibus miſerè conflictamur *mortales*, non minùs *affectus* quilibet eminentiæ prærogativamex debito concedat,quàm ex contrarietate, aut antipathiâ à triumphante illius imperio immunis exiſtat.

Si non abutentis eſſet otio, & patientiâ Lectoris, ægritudinum quarumcunque ſyllabum exhibendo, fidem aſſertioni huic vix infirmam conciliare potuerim; ſed vela contraho,etenim *morbos* inter *miſcel-*

*los*, alios, atque alios, reliquis interiorem & propiorem cum *Peſte* ſocietatem iniviſſe obſervatio crebra abundè patefecit; vel nimirum ob *venenoſitatem communem*, vel ob *peculiarem* utriuſque, & *mineram* proximè *congenerem*.

Primæ Claſſis ſit *Lues Venerea*, cui (cæteris tantiſpèr omiſſis) ſe comitem adjunxit *ſemen peſtiferum* inſiſtere liceat.

*Coortâ* primitùs *peſtilentiâ*, mox emanavit fama, omnes *morbo quovis teterrimo*, putà *gallico* cruciatos, à *correptione peſtiferâ* protinùs ſecuros fore: hinc quidam, proh ſceleris, & impietatis portentum! imprudentèr, & laſcivè feroces, ut ſe incolumes præſtarent, in immundiſſimos ruebant amplexus: præterquàm verò *qualitatem veneficam* huic morbo *peculiarem*, & ei fœdere arctiſſimo *conjunctam*, præter *exhauſtas*, *collapſasque vires*, præter *fatiſcentem* corporis *tonum*; hoc ſci: acceſſit, tanquam ſuprema miſeriæ coronis, *virus* quippe *præfatum* labis peſtiferæ coitionem velut *magneticè* deperibat: ceterùm paucorum dierum mora temeritatem antehàc inauditum ſolidè redarguit; eò quod plerique *hoc Antidoto* perbellè licèt muniti

muniti, à *contagii* tamen *peſtiferi ſuperve-nientis* impetu extinguebantur; tantum nempe aberat *morbum Neopolitanum* potuiſſe quempiam à tantis aggreſſibus tueri, ut *bubones venerei* ſæpenumerò, promptâ quidē tranſmutatione, emerſerint *peſtilentes conjugatâ*; igitur *malignitate*, quid miraculi *ſingula* utriuſque morbi *ſymptomata* magis *effera*, magis *funeſta*.

Atqui *Naturæ* ſolers machinatio minimè hìc loci oblivioni tradenda, quæ ut *ſemet* ab utriſque in malo confœderatoribus *methodo eâdem* expediret, quandoque ſuâpte ſponte *Salivationem* moliebatur: Exinde res tota frequenter in vado collocata, *evacuatione illâ*, ſicuti decet, *progrediente*, & inſimul cum *veneno aſſociato* copióſiſſimè *humores ſeroſos*, & *noxios* exantlante.

Submonendi interim *juniores Medici* nè quoad hoc cœptum ſint inconſulti *Naturæ* imitatores; niſi cum pari ægrotantium diſcrimine, & periclitatione experiri velint, ac *Medicus* quidam *non nemo*, qui *pulverem* haùd ita pridem apud credulum vulgus *celebratum*, iterum, atque iterum deglutivit, unde *ſputatio interpo-*

*lata* cum ſymptomatum pravorum agmine, inſtitutâ tandem ab aliis *curatione methodicâ* hìc ægrè convaluit.

Ut difficultatem totius rei verbo infringam, haud longè à ſuſpicione abeſt, *Mercurium* aliquando in nonnullis corporibus diutinè, velut anguem in herbâ latitantem, illicò à *correptione peſtiferâ* è *latebris* proſilire poſſe, & *ptyaliſmum* excitare ; *ardore* ſci: *febrili vehementiſſimo*, *medicamentis* quoque genii calidioris, *Argentum vivum* eouſque *conſopitum* expergefacientibus, & ſublimantibus : ſumma itaque cautela à *Practicantibus* adhibenda in *Mercurii* præſcriptione, non tantùm in *provectiori*, ſed præſertìm (quod maximè uſitatum nunc dierum) in *ætate infantili*, niſi benè calluerint *Artis medicæ conſulti*, quàm ocyſſimè, & dextrè *cacodæmonem* eliminare ; nè forſitan præter malum modò recenſitum, *ulcera maligna*, *oſſiumque caries* ( quod obſervationibus medicis abundè confirmatum) tum *inſcitiam* hominum malè practicantium, tum illatum *ægris* nocumentum ſigno indelebili conſignent..

Utcúnque non me latet, poſſe *virus* *peſti-*

*Peſtilens* citra adjutorium *glandulas* obſidendo, *eas* tumefaciendo, & *laticis ſeroſi* tranſitum impediendo, *ulcuſcula* etiam in ore excitando, *Mercurii* adinſtar *Salivationem* inducere, hoc utique in *febribus malignis* haud infrequens, prout ſuo loco dicetur.

Demùm tam clara, tam explorata res eſt, *Peſtilentiam*, & *Luem Veneream* arctâ implicari familiaritate, ob *affinem virulentiam* corpori humano *inimiciſſimam*, ut quidem luderetur opera in ulteriori confirmatione: neque hâc in re contra nos militat *quorundam opinio*, quæ ſtatuit *Luis venereæ* ſeminarium in *humiditate*; *Peſtis* autem in *ſiccitate* hoſpitari; dummodò ſymptomata *affectus utriuſque*, & *ulcera*, naturam illorum *communem* eſſe, h. e. *ſalinam*, clarè patefaciant: ſin minùs hoc conceſſum, ratione tamen *venenoſitatis* facilè maritari poterunt, unitiſque viribus maximo mortales adoriri detremento.

Cæterùm amicitia inter *Peſtilentiam*, & *Scorbutum* non *levis*, & *ſuffragatoria*, ſed *firma*, & *perpetua*, quorum eminet *intimior coaleſcentia*, velut commilitonum con-

conjuratorum, *ſalinâ* nimirum *parentelâ* indubiè ſubortorum; etenim ſive *tranſplantationis præmemoratæ* recurrat memoria, viz. quòd *miaſma peſtilens* ab *Imperio Turcico* in *Belgium* tranſvectum erat, ubi primò affectus hi *fœderati*: ſive animadvertat quiſpiam, quàm *epidemica* multò ante apud nos *affectio Scorbutica*, ei minimè portenti ſimile videbitur, *morbos utroſque* fore *domeſticos*, & velut *conſpiratione* in genus humanum *factâ*, longè, latèque debacchari; à *propenſa* itaque illorum *coitione*, cujuſnam fuerint indolis, ſat obvium: qualis flammarum immiſcendi ſeſe invicem, & uniendi ardor, *par*, ſi non *concitatior*, in *ſalinis particulis* ſocietatis, & accuratæ conformitatis, *pruritus*.

*Salium* licèt diverſa ſuerint genera, & immane diſcrimen, quoties tamen conveniunt, tantâ mox conjunctione ferruminantur, mutuóque coaleſcunt, ut nullâ deinceps arte ſegregari poſſint, quâ de causâ *affectus hi* confœderationis tam pertinaces erant, ut *Peſtis nupera* paſſim appellaretur *tranſmarina Scorbutica*, cujus tyrocinia propter novam *fomitis parati*, *familiaris*, & *congeneris* acceſſionem celerrimè progrediebantur.

Fæcunda inſuper *connubii* phænomena, morborum horum *viciniam*, & *conſanguinitatem* palàm fecêre, ſicuti paulò poſt dicetur: verum ut pleniùs *concordantiæ* ſpecimen exhibeam, mihi quædam (cæteris jam miſſis) ſymptomata recitare fas ſit, ubi imprimis occurrunt *maculæ* utriſque morbis communes, ſigna *amborum* diagnoſtica.

Quoad *maculas peſtilentes*, correptorum nonnullorum *cuticulæ* erant tam *maculoſæ*, ut vix ulla corporis pars *ſtigmatibus* vacua deprehenderetur; certè univerſalis *eorundem* diffuſio, omnia cutis ſpiracula poſſidebat; *veneno* ſcilicet *peſtilentiali* admodùm *exagitato*, & *diſpalato*, de quâ re alibì.

Si facies, & conditiones *macularum* in utroque morbo ſpectandæ, haud ſatis ſcio quid diſcriminis obſervari queat; etenim quoad *magnitudinem*, & *figuram*, maculæ peſtilentiales nunc emerſerunt latæ, nunc contractiores; conſimiliter ac in *Scorbuto ſolitario*: quoad *durationem*, tum *his*, tum *illis* confeſtìm *evaneſcere* & *redire* viciſſim ſolenne, atque aliquandò ultra biduum, triduumve *ſtabiles* hærere: exin

ab

ab *imperitis quibuſdam mulierculis*, & *ſciolis aliquot*, maculæ Scorbuticæ ſtigmata habebantur peſtiferè læthalia : quoad *colorem* petechiæ peſtilentiales, juxta ac in Scorbuto, *Floridæ*, pulicûm morſuras recens illatas, ad amuſſim referentes : interdum verò *obſcuræ*, & *liveſcentes* deprehendebantur ; in puero quodam *purpuraceæ*, cujus corpus undiquaque, velut floribus violarum, interpictum; in nonnullis *nigræ*, à *Syderatis* cautè admodùm diſcrepandæ.

Quàm in ſuper *morbi hi* amplexìm *confæduſti*, alia quidem apertiſſimè indicabant Symptomata, viz. *alvi dejectiones* in utriſque affectibus *copioſiſſimæ*, quæ duntaxàt ſupprimi poterant opportunâ remediorum exhibitione, *ſalinam* eorundem *naturam* optimè contemperantium; quòd ſi *fluxus* aliquandiu perſeveraverit, ingens ſanè, & inexpiabile malum *ægris* ſolebat machinari ; unde multoties *inteſtinorum* corroſio, & inflammatio, item *illorum* ſphacælatio, præeuntibus torminibus perquàm graviſſimis, & plerúmque copiosâ ſanguinis dejectione : poſtremò tumores, & ulcera *conſortium* horum affectuum

ffectuum *intimius* pulcherrimè indica-ant, prout in Sectione de Curatione ocebitur.

*Peſtilentia* interìm ut *Scorbuto* amicitiæ, & Unionis parem referret gratiam, in orreptos plurimos *idæam ſuam* impreſſit riùs à *labe illâ* immunes: certè quid mi-aculi poſt tantam *ſanguinis*, *cæterorum-ue ſuccorum* conturbationem, & dege-erationem; poſt *particularum* maximè *ubtiliſſimarum*, & *ſpirituum* denique ex-alationem, aut ſuffocationem, *diatheſin* ſuperinduci *Scorbuticam*, remediis qui-buſvis, licèt generoſiſſimis, ægrè ceden-tem.

Reſtat jam, ut paucis ſcrutemur, ecquid commodi è *Luis* cum aliis morbis *confœ-deratione* accreverit. Geminam hiſtoriam, unam de *Tabe*, de *Scrophulâ* alteram, hìc proponam.

*Puella quædam* 15 circiter annorum ad-modùm *extenuata*, ut oſſa præter, ac cu-tim, vix quid ſupereſſe videretur, *hæc* cùm nil alimenti per ſpatium 14 dierum ſumpſerat, diu habebatur ab omnibus pro deploratâ; ego ad *matrem ipſius*, *duoſ-que alios* in domo illâ *peſte* laborantes *vo-*

*catus*

*catus*, *correptorum* in me curationem ſuſce-pi, quibus ſtatìm convaleſcentibus; tan-dem *hanc ſemimortuam* Lues invaſit; *quæ* modò velut *extincta* jacuit, calore febrili mirè *animata*, artus movere cœpit, & *remediorum* ope *Alexipharmacorum*, *quæ* tamdiù *elinguis*, de *tumoribus* hìc illìc *dolorificis* conquerebatur; *Bubones* autem *emerſuri* (quantum conjecturâ aſſequor) ob ſucci defectum, minimè ſuppurati erant, ſed ob copioſiſſimam tranſpiratio-nem valdè beneficam ſubſidentes evanu-êre; intra duas ſeptimanas (Deo annu-ente) *puella* præter ſpem, & opinionem omnium in integrum reſtituebatur, tabe enim indies diſcedente.

Virgo altera ultra 16 agens ætatis an-num, à teneris unguiculis tam *ſcrophu-loſa*, ut *ſtrumæ* multiplices, & obſtinaces, nullo remediorum genere tolli poterint; *hæc* tandem *peſte* afficiebatur, *tumoribuſque ſtrumoſis* ſupervenêre *parotides*, quibus ſuppuratis, & pus affatìm effundentibus, tam à *Lue*, quàm à *morbo contumaciſſimo*, & *diuturno* liberabatur *ægra*.

Quidam *podagrici*, aliiſque affectibus inveteratis vexati, *auſpicatâ hâc aſſociatione* reſtituti

reſtituti erant: reverà omnes ferè Luem perpeſſi, curatione v. a. e. adminiſtratâ, rectiùs poſteà valuêre; planè ut non modò *venenum* aliquandò, ſed *ipſa Peſtis* vim obtinuerit medicamenti: hactenus de *Luis complicatione*: Signa ejus jam deſcribenda veniunt.

## SECTIO QUINTA.

### *De Peſtis nuperæ Signis manifeſtis.*

PRæter rem noſtram omninò foret, multifaria *Conſtitutionis Peſtilentis* phænomena hìc tradere, quæ (modò fides eventui habenda) *phantaſiæ* utplurimùm *infirmæ*, & *conjecturæ* deliramenta jure merito cenſenda; ſive à *Cometis*, *Planetarum Conjunctionibus*, cæteriſque id genus indiciis deprompta: qualia precor de *Contagio* aliunde *advecto* hariolorum auguria? an *Cometarum* caudæ *aculeo peſtelentiali* ſemper armatæ? *aerne impurior*, & *inſalubrior*? an *fames* Peſtilentiæ nuperæ

peræ *anteambulo?* an denique viſa *Inſectorum* multitudo inſolita, nubium adinſtar? immò è contra (uti ſupra memoratum) cùm omnia viderentur *fauſta*, *ſerena* omnia, defunctos quidem periculis, & in utramvis aurem dormientes, *Lues hæc* improvisâ ſaltem, pænè dixeram tranſplantatione fortuitâ ad nos trajiciebatur: ab *effectis* itaque ſigna petere ſatius duco ad inſtitutum noſtrum propiùs ſpectantia.

Pauca admodùm occurrunt Signa *Lui peſtiferæ* appropriata, quæ cùm affectuum ferè omnium, præcipuè acutorum *Epitome* fuerint, & *compendium*, utpote cum *iis* confœderata, tot, & tam varia ſigna exhibere ſolet, ut definitus eorum vix tradi Elenchus queat: Ego interìm ſatisfeciſſe videar, ſi illa ſolummodò depinxero, quæ juxta obſervationem quotidianam magis *publica*, & in pleriſque ægris *obvia*, & *familiaria*: Hæc autem methodi gratiâ in duas claſſes diſpeſcam.

Primæ, Sunto manifeſta correptionis ſigna.

Secundæ, Quæ mox ab invaſione apparuerunt. Me hìc neceſſariò prælibare oportet,

oportet, *Peſtilentiam* ſecundum ægri *conſtitutionem*, *ætatem*, *anni tempeſtatem*, *prægreſſos*, ſive *præſentes morbos*, *pravam victûs rationem*, *ſeminarium* utique ab infectis *deciduum*, ejuſque *virulentiam*, ac *gradum*, alia, atque alia, protinùs incerta, nonnunquàm contraria dediſſe adventûs indicia.

Symptomata primi ordinis erant *Horror*, *Vomitus*, *Delirium*, *Vertigo*, *Cæphalalgia*, *Sopor*.

Secundi, *Febris*, *Vigiliæ*, *Cordis palpitatio*, *Hæmorrhagia narium*, *incendiumque præcordiorum*.

Signa magis *peculiaria*, & Lui *appropriata*, viz. *Puſtulæ*, noſtro idiomate **Blains**, *Bubones*, *Parotides*, *Carbunculi*, *Petechiæ*, & *maculæ peſtilentes* Anglicè **Tokens**, de quibus ſigillatìm.

Ignoro quidèm, an in rerum naturâ (prout iterùm atque iterùm admonui) quid exploratius, quàm *venenum peſtilens* fore tam *ſubtile*, & tam *ſubdolâ inſinuatione* corpus ſubire, ut raró admodùm primaria ejus obreptio è longinquo prolatur; ideóque quod de *ſenſili* Peſtis *appulſu* vulgò traditur, nempe correptos

*ipſiſſimo* invaſionis *articulo* velut *ictum illatum* ſentire, quaſi *plaga* tunc temporis *inflicta* fuiſſet, phantaſiæ corruptæ, & conjecturæ potiùs attribuendum reor, quàm judicio explorationis compoti: ſolenne nimirùm rudi plebeculæ terrore quovis exanimatæ, varia paſsìm imaginari, & fingere commenta; ſaltem quod diù apud vulgus obtinuit, id altiùs impreſſum fidelitèr hæret, argumentis demùm haud ullis delebile.

Proinde, cùm hoc hominûm genus (ſicuti multis retrò annis increbuit fama) methodo præfatâ *Luem* corripere crediderit, quidni opinioni utut inconſultæ aſſenſus plenus, indubiumque ſuffragium tribuatur? quò fit, ut mortales pertinaciter perſuaſi, *ictum invaſionis* expectent, & quodammodò illatum ſentiant.

Atquì non me fugit, nonnullos τό νῦν *inſultûs peſtiferi* detexiſſe, hauſtis tunc odoribus teterrimis, & ingratiſſimis, eò quòd *ſeminarium peſtilens* (uti ſuprà proditum) ſe aliis corporibus immiſcens, unàque cum iis è *pingui*, & *craſſâ materiâ* conſtantibus, *venenum ſubtile* naribus quandòque ingerebat.

Poſte-

Poſteaquàm *miaſmata peſtilentialia* quempiam adorta fuiſſent, & *ſpirituum* deviciſſent copias; *ſanguinis* maſſa, & reliqui corporis *ſucci* labem accepêre; hinc *orgaſmi* vix *compeſcendi*, hinc *Symptomatum* Symdrome, quorum Dux, & vexillarius *Rigor*, ſive *horripilatio citra cauſam quamlibet manifeſtam* mutationis tam inopinatæ, & ſubitaneæ.

Symptoma hoc *Naturæ* laborantis colluctationi agoniſticæ ortum debet, quæ *malignitatis* vim fortiter oppugnans, illum *frigoris* quaſi *invadentis* ſenſum inferre videtur, à ſeminarii peſtilentialis *introſitate* pendentem; conſimiliter ac *Nitrum delibatum* linguæ *ſaporem* velut *frigidiuſculum* imprimere ſolet: Rigorem porrò quoad cauſam, à *veneſicâ Luis qualitate* Calorem Nativum enervante, & obruente, proficiſci ſuſpicor; atque motus ſpaſmicos à *nervoſi generis* affectione; *particulis* ſci. *ſalſis*, *aſperis*, & *malignis*, atque eàproptèr *heterogeneis*, in exiles admodùm Vaſculorum iſtorum exquiſitè ſenſilium meatus confertìm amandatis, quæ *dulcorationis*, *lævigationis*, & *emendationis* omninò incapaces, *irritando*,

*vellicando* & nonnunquam *cauſticando* motus convulſivos, & involuntarios excitare valent.

Correptorum pars maxima *horrorem hunc* patiebatur, alii tamen *graviorem*, alii *mitiorem*; de præmaturâ autem *liquoris nervoſi* labe dubitare ampliùs non licet, itémque *ſanguinis* diatheſin non niſi paulò poſt immutatam; cruorem nempe, vel propter *effluviorum veneficorum ſubtilitatem*, vel propter *fibrarum robur*, ac *tenacitatem*, coinquinamenti noxam aut tardiùs admittere, vel *ſuſceptam* diutiùs cælare, lubens aſſentior.

Certè tam rara exiſtit *nervorum* textura, tanta *generis nervoſi* conſpiratio, & conſenſus, tam denique eximia *liquoris pneumatici* perfectio, ut ubiprimùm incommodi quid appropinquaverit, *corpora* exquiſitè *ſenſilia*, & *ſpiritus* præſidium iſtic *agentes*, mali *appulſu* moveantur, concutiantur, & in *tremores ſpaſmicos* cieantur, quibus ſe in libertatem vindicent, & hoſtem protinùs excutiant: demùm pro veriſimili habeo *inquinamentum peſtilens* è *nervis*, in *muſculos* explodi, exin *tenſio*, *tremor*, *vellicatio*, & univerſi

cor-

corporis *concuſſio*, cum *pandiculatione iteratâ*, haùd ſecùs ac in *febribus putridis*, & *malignis*.

Duratio *horripilationis* incerta erat, uti & gradus, cujus *terminatio* nunc *brevior*, nunc *protractior*, interdum intra ſeſquihoram Ceſſavit *Rigor*, crebriùs ultra quatuor, vel quinque horas perſeveravit: hoc attribuendum Conjicio, vel ſeminarii peſtiferi *copiæ*, *malitiæ*, vel Naturæ *Colluctationi proſperæ*, aut ejuſdem *impotentiæ*.

Horrorem vix adhuc ceſſantem urgentiùs ut plurimùm premebant *Nauſea*, & *vomitus*, unde maxima *cibi* averſatio, & tantum Stomachi faſtidium, ut ægri mox ab invaſione peſtiferâ *æſculenta* modò *gratiſſima*, nè conſpicere ferrent, vel ſermonem de *iis* habitum audire, quo non dabatur certius, & indubitatum magis *correptionis* teſtimonium?

Præter *inappetentiam*, & *nauſeam*, quoſdam gravitèr infeſtabant *vomitiones*, crapulâ plus ſæpè earundem anteambulone, quæ nonnullis excuſſæ *moleſtiores*, & magis *periculoſæ* ob qualitatem *Luis* veneficam, *ventriculum* ingeſtis quando-

que

que vacuum moleſtè *irritantem*, & *ſubvertentem*; *hunc* ſci. propter *contextum nervoſum* exquiſito admodùm ſenſu donatum, *ſuccos quoſcunque mordaces*, *humoreſque corruptos*, prout poterit, excernere experimur; nec minùs *illum* univerſi corporis tutelæ, nè quid mali accidat à *veneno peſtilentiali*, *indolis* quidem *ſalinæ*, quin & eâ de causâ *pungentis*, & *coroſivæ*, invigilare, & inſurgere: quorsùm hâc in re neminem poſteà dubitatio habeat, viz. *ventriculum* ob *contexturam nervoſam* aliena omnia præſertìm inimica, & *peſtifera*, pro valdè è fundo ſuo quamprimùm ejicere.

Plerique tam *immanem*, & *diuturnam* ſubiêre *irritationem*, ut illa quibuſcunque remediis ægrè *compeſci*, aut *ſiſti* potuerit, ut *medicamenta ipſa* utunque ad plures vices iterata redderentur; immò frequentèr *vomendi* conatus laceſcebat quouſque de viribus *infirmi* actum fuerit Symptomate adhùc permanente, & vigente, nec non ſeminario peſtilenti altiores agente radices.

Ejecta per *ſuperiora*, exantlatâ priùs *humorum* ibi *congeſtrorum* ſuburrâ, in con-

conſpectum ſe dederunt *bilioſa*, diutinè floris inſtar cerevifialis *fermentaſcentia*; quoad *tincturam*, & *colorem*, perſæpè *ſubviridia*, & *porracea*, nonnunquàm tam *fœtida*, ut *correptorum* vel cubicula introire vix cuipiam ſalvis naribus licuerit, ob *prodigioſam*, & *præcellentem malignitatem*, ſive *putredinem*.

Infauſtus medicamentorum uſus, multo ſanè uſu vomitionem licèt enormem aliàs mox ſiſtentium, ubi etiam *ingens ſitis*, *calorque fervidus* aderant, in ventriculo *carbunculi*, aut *mortis* periculum imminere ſuſpicionem præbuit, ideòque languentes hi *animam* (ſi Helmontio fides) in illo ſitam evomuêre, quod ampliùs in prognoſticis patebit.

Priuſquàm pergo, *Chariſſimæ Patriæ* ſalus, & *Poſterorum* cura à me exigunt, ut *Empericorum* cujuſcunque ordinis *inſcitiam nefariam* in apricum proferam, quibus nimirùm ex uſu erat, *remedia emetica* paſsìm propinare; profectò hâc praxi plurimi è medio ſublati erant, auctâ hinc *vomitione Symptomaticâ*; mihi autem ad hujuſmodi languentes vocato, in iſtâ rerum anguſtiâ, quid factitandum

optimè perpensâ *Canonum medicinalium* liturgiâ, haùd expedita erat deliberatio; tametſi enìm omnia ex *Arte* adminiſtrarentur, res tamen in pejus ruebat; quapropter arduum nìmis reperi penſum, lapſos ſemel per errores temerarios, & fatales ſuffulcire, & firmare, non minùs in *morbo peracutiſſimo*, quàm in *bello gerendo*, quod ex infrà dicendis patebit.

Cæterùm, unde primaria *Ventriculi* affectio, ſi cuipiam percontandi animus, & quibuſnam meatibus illum adire queat *venenum peſtilens?* ut illius dubitationi ſatisfaciam, nil magis in propatulo, quàm *miaſmata peſtilentialia*, non tantùm per apertos portus, ſed per cutis ſpiracula frequentèr ad *nervoſum genus* clàm tranſire, à quo ad reliquas partes fit eorundem communicatio; hoc quippe *nervis* proprium, non ſolummodò primariam malignitatis impreſſionem *Stomacho* impertire ob *conſenſum Catholicum*, quàm *illam* quocunque modò *advectam* ſuſtinere, effectu interìm haud diſſimili, ac *Vomitorio exhibito.*

Aliquandò ſe *eſculentis* immiſcere ſolet *aura peſtilens*, & unà cum *iis* deglutiri;

tiri; *ſolutis* inde, & liquatis poſt tantillam moram *ingeſtis* per *ſalivam* maſticationis muneri *dicatam*, & *ventriculi* pyrotechniam, *ſemen peſtilens* libertate potitum, & exaltatum vi *diſſolventis acidi* potentius evadit, minimè impar *Arſenico*, vellicatione, & corroſione nonnunquàm *Vomitiones* provocanti non cohibendas, utique & *motus* interdùm *Convulſivos*: Hoc toties à me obſervatum, dum plerique bonâ, & integrâ valetudine ſtatim à *commeſtione* ægrotaverint, & *cibum* aliàs *euchymum*, & *laudabilem*, velut *impurum*, ac *Venenatum* evomuerint, ut de hâc re nemo ampliùs in Conſilio ductuet.

Ab *òdoribus* inſuper *vomitus* excitari ſolet, tum *graveolentibus*, tum *aliis*, correptorum naturæ, & conſtitutioni antipathiâ quâdam *contrariis*; hoc evenire convicio ob harmoniam, & conſenſum *organorum olfactûs*, & *ſtomachi*, quorum vaſa per *membranam Communem* tam connexa, ut *afflatos* é materia putri *odores* tetros, & *ingratos* ſagaciter *Ventriculus* perſentiſcat, unde illicò *faſtidium*, & *ſimultas*; mihi interìm venia indulgeatur

uni-

unicum hìc obiter annotandi; ſci: uti multis in caſibus *remediorum emeticorum* exhibitio funeſta, ita quidni ab *odorum quorundam* olfactu ſat efficacitèr, & tutiùs longè, inſtitui poterit *humorum noxiorum* per *ſuperiora* eductio; ſiquidèm è contra *aceti*, & aliorum id genus *odoratu* vomitum ſiſti experientia palàm fecerit: Ingenuè fateor me non pluriès experimentum hoc peregiſſe, ſit utcunque penes *medicum rationalem* ejus periculum facere.

Quinetiam *ægri* ferè omnes, mox ab hauſtâ *infectione* delirarunt, circa *plateas*, & *agros*, quoquoversùm (niſi detinerentur) vagantes; nonnulli perambulatione valdè incertâ feſſi, *ingraveſcente* etiam *malo*, conciderunt, neſcii omninò quid rei actum, unde ventum, ubinam loci erratum: Ut denique repetam quod ſuprà evulgatum, omne *veneni* genus hâc in tragœdiâ congredi videbatur, ſuas quodque partes acturum.

Alios *vertigo* invaſit, unde correpti citrà *circumgyrationes* ab extra, capita circumferri credebant: *cerebrum* haud dubio à *miaſmate peſtilentiali* graviſſimè im-

mpetebatur, non tantùm quia nil ſpiriti-
ùs obfuſcatis ſolennius, quàm omnia velut
er ſomnia tranſagere, ſed potiùs à vene-
i *indole inflammatoriâ, cauſticâ, narcoticâ*,
ut vaſorum *texturâ*, & *conſenſu* hoc pen-
ere, *liquorumve* variâ conditione. Atque
tiam *hanc Vertiginem* ab *inordinato*, & *ano-
nolo* ſpirituum *motu* interdùm profectam
uiſſe, noſtra fert ſententia.

Verùm de *Cæphalalgiâ* plures conque-
ebantur, quorum capita tam vehemen-
èr dolebant, acſi in diverſas diſſilirent
artes, malum ſiquod aliud intolera-
ile, quippe quod abſque ullâ remiſſione,
ut intervallis ſæviebat, *hoſte* non ſuâpte
ponte *pacato*, ſed *naturæ* duntaxàt, & *me-
icamentorum* virtute debellato; reverà
ix quid patentius, quàm *meninges* à
*niaſmate ſalino* ſtimulatas, tantam exhi-
uiſſe languentibus moleſtiam; horum
uotquot diem ſupremum obierunt, do-
ore ad extremum ſpiritum ferociente, &
ancinante, de *Cerebri* inflammatione,
orroſione, item ſpacelatione, minimè le-
is ſuſpicio aderat.

In hoc quoque Symptomatûm ordine
*ſopor* annumerandus, eò quod plurimi
ab

ab ipſiſſimo *invaſionis* articulo admodùm *Comatoſi* evadebant interdiu, noctúque altè dormitantes, quaſi *opiatâ confectione* inebriati: aliqui in rebus ſuis occupati, cum amicis, alii colloquium ſerentes (prout è ſupra dictis pateat) aliaque negotia agentes, derepentè nequicquam reluctantes, in profundam, & perſæpe infauſtam prolapſi ſunt ſomnolentiam.

Quo autem pacto *virus peſtilens* ſibi *virtutem narcoticam* adſiſcat, non mihi in promptu explicare, an ſci. ratione *ipſius ſeminarii*? An ob cognationem & complicationem cum *Scorbuto*? An propter *malignitatem præcellentem*, *eximiamque malitiam*? An medulloſa *cerebri* ſubſtantiâ afficiatur? An *Circulatione* aliqualitèr *præpeditâ*, vel *coagulatio*, vel *ſanguinis* extravatio Symptoma hoc inducat? Sive labes obrepat *nervorum* originationi illata? nodus hic quidèm altero Hippocrate dignus: Apud omnes interìm in confeſſo *virus peſtilens* non tantùm ob *ſoporem*, magis *fixum*, & *Contumacius* reddi, ſed *genus nervoſum* inde gravitèr pati, & heu nimis! debilitari.

Secundi ordinis Spmptoma primum

eſto

ſto *Febris*, quæ (uti priùs dictum) eſtilentiæ nuperæ utplurimùm *comes fi-iſſima* erat: tametſi *Lues* quandoque orreptos multò citiùs vitâ privaverit, uàm *ſanguis*, vel *ſucci reliqui* fermen-ſcerent: In conceſſis itaque ſit, labo-ntium *Lue* partem longè majorem *febri-taſſe*. *Hæc* autem *Febris* in quibuſdam *tens*, & *occulta*, in aliis *manifeſtò* in-aruit; illum ſanè in *re medicâ* parùm erſatum arbitror, cui inexploratum *Fe-res* ſæpenumerò vel *malignas*, in morbi xordio tam *obſcuras* fore, ut vix à uopiam expertiſſimo deprehendi potu-rint, abſentibus tunc temporis *calore im-iti*, *pulſu inæquali*, ſimul ac *ſiti vehementi*, ia tamen obſcuriora licèt *phænomena*, que etiam *exitus* ſat, ſuperque evince-ant languentes *Febre* neutiquàm vacaſſe. Iulta profectò eveniant, preſertìm in *ceſſione*, quæ immenſam de illius *inſultu* dicandi difficultatem adferant; viz. ſi imia in venis, & arteriis acciderit maſſæ nguineæ *turgeſcentia*, ſpatio ipſius *com-otioni*, & *depurationi* haud ſatis amplo, el ſi *cruor* fuerit tam *tenuis*, *crudus*, & *egener*, ut ægrè *fermentaſcere*, & *accendi* queat;

queat; vel ſi *miaſmata peſtilentialia* congreſſu primo apparuerint *amica*, & ſanguini ſemet immiſcuerint citra notabilem ejus alterationem, aut ob *qualitatem* illorum *frigidam*, & *Stypticam*, unde exagitationis *tardatio*, ſi non *ſuppreſſio*.

Quamobrem nemo impoſterùm *febrilem* abeſſe *invaſionem* ſuſpicetur, tametſi patentia, & indubitata *febris* phænomena non ſe ſtatìm prodiderint: Verùm graſſante *nuperâ peſte* alitèr ſe res habebant; apertiſſima quippe ſigna *febris* præſentiam utplurimùm ſat manifeſtò indicarunt, qualia nimirum *inquietudo ſumma*, *calor intenſiſſimus* foràs, & intra, cum *ſiti inexplebili*, *ariditate*, & *nigritie linguæ*, *æſtu præcordiorum intolerabili*, Cæteriſque *acceſſionis febrilis* nunciis locupletiſſimis.

Quoad febris *exacerbationes*, & *remiſſiones*, obſervatione quotidianâ conſtitit, eas nunc *vagas*, & *mutabiles*, nunc *continuas*, abſque ullis intervallis, interdum *remittentes*, cum periodis infidis quatuor, viij ſæpe 10, vel 12. horarum: Et prout alternatio *rigoris*, & *ardoris* varia, nonnullis bis, terve horulæ ſpatio viciſſi-

viciſſitudinem expertis, aliis *tardiorem* reverſionis periodum compatientibus, ita ut *inſultus* nunc *leviores*, nunc emicuerint *graviores*, viz. qui paroxiſmi primi impetum vix ſuſtinere valuit, ſecundum alacritèr, utpote mitiorem ſubivit, tertii rursùs, vel quarti vehementiæ, & furori intenſiſſimo ſuccubuit: Multotiès tranſacto ſine magno incommodo typo primo, ſecundus, reliquique inſequentes ſupra modum invaluêre; tanta ſane eràt *morbi peſſumi moris* verſutia, doluſque, ut de ejus *circuitu*, & *tyrannide* nil certi pronuntiare potuerimus.

Cæterùm, ut plenam *varietatis tantæ* penitiùs notitiam aſſequamur, diſquirendum.

Primo, Quæ paroxiſmorum inſtabilium cauſa aſſignanda ſit.

Secundo, Quæ reddatur ratio exacerbationis incertæ urgentibus typis.

A ſalino *Peſtis* ſeminario (quod argumentis quæſitiſſimis ſuprà probatum dedi) immanes in *ſanguine*, *aliiſque ſuccis* concitari poſſe tumultus, eccui dubium? Et *circuituum* incertitudo, vel *mineram* reſpicit *morbificam*, vel *liquorum* natu-

ram,

ram, & motum: *minera morbifica* tum ratione *venenoſitatis*, tum *figuræ diſſimilis*, Naturam ſuæ conſervationis ſtudioſiſſimam ad *noxii* expulſionem irritare conſuevit, quâ tardâ exiſtente, aut imperfectâ, vel illâ penitùs deficiente non abſolvitur *depuratio*; *remittente* tamen aliquandiù *exagitatione*, ſpatium datur intercalare; quandoquidèm is *particularum venenatarum* genius, & figura peculiaris, ut aggreſſu primo rariſſimè *conteri*, *liquari*, aut *ſubjugari* poſſint, ſed datâ aliquali morâ *malum* progreditur ſensìm, longiuſque ſerpit, *idæam* ubivis *peſtilentem* imprimens.

Verùm quò hoſtem ejiciciant, aſſiduam impendunt operam *Spiritus*, quorum tamen conatus non ſemper proſperi: Ut verbo hæc expediam, quemadmodum particularum homogenearum blanda aſſimilatio, & earundem indiſcreta unio *regulatorem*, *Sociumque* cruori *motum* conciliat, ita ob inæqualitatem, & diſſidium mixtorum, *Circulationis*, & *fermentationis* anomalia cauſatur, adeòque à liquoribus ipſis, & vaſculis, præter *ſeminarium peſtilens*, febrium harum inconſtantiæ ratio petatur,

petatur, & fallax reverſio, & neutiquàm à *corruptione* vel *ſimpliciſſimâ*, ullove (juxta veterûm placita) *putredinis* gradu.

Ego nè quidèm in uno languentium obſervare potui vel minimum *corruptionis* veſtigium *cruori* impreſſum: inviti licèt, hoc fateri cogentur *medicaſtri* non ſine ſummo *correptorum* malo, & magnâ illorum ſtrage venam temerariè tundentes; nulla autem detecta labes in *ſanguine*: certè erubuit tam fatatem inſcitiam *innoxius cruor*, qui in hoc affectu utplurimùm ſolito floridior repertus.

Quòd *urgente paroxyſmo* non uniformia, & æqualia erant *febris* tempora, uno aliud per vices incertas eludente, hoc fieri conjicio ab impotenti *Naturæ* luctâ cum *miaſmate peſtilentiali*; veluti enim *Febris* regularis habita, ubi omnes quotquot ſunt alterationes *ordine recto*, & *diſcreto*, ſe invicèm inſequuntur, ob materiæ morbificæ velut *æqualitatem*, *indolemque ductilem*, ita è contra ubi incertò movetur *ſeminarium peſtilens*, typo interìm pergente, *novas* ſubinde excitans *commotiones*, ob materiæ forſan peccantis

*contumaciam*, ſive *aſperitatem* minimè *lævigandam*, ibi reverſio, & motus *febris* inconſtans, & fortuitus: Sed moram rumpo, reliqua ſigna ſummatìm enumerare feſtinans,

*Somno* plerique (uti ſuprà traditum) primò *obruti*, mox *ſepulti*; alii autem diſpari fato *diuturnas*, & ſæpe *fatales* egerunt *vigilias*; ita ut nè *remediis opiatis* ad plures licèt vices repetitis, *quies* conciliari potuerit; mihi perſvaſiſſimum eſt, *cerebrum*, ipſiuſque *membranas* à *veneno aculeato* iſtoc in caſu *impeti*, & *vellicari*; *præterea* ſummo *caloris febrilis* æſtu *vapores lenes*, & *blandos* ad cerebri irrigationem apprimè neceſſarios *diſſipari*, utique & deprædari, & ſæpenumerò *ſpiritus opimos accendi*, hinc *inflammationes* nullomodo *extinguendæ*, item *Cerebri* frequentèr *ſphacelationes*.

Cæterùm inter hujuſce ordinis ſigna, magìs eminet *Cordis palpitatio*; credebant quippe *Veteres* Auram peſtilentem à proprietate *Cordi* fuiſſe è diametro velut contrariam: Certa quidem res eſt, plurimos *gliſcente peſtilentiâ nuperâ* Symptoma hoc graviſſimum perpeſſos; mihi

mihi tamen non ſatis innotuit injuriam peculiarem *Cordi* potiùs, quàm *viſceribus iliis* illatam fuiſſe, niſi ratione *usûs*, & *fficii*, vel *texturæ*.

Ubiprimùm ſubtile *Peſtis* venenum ſemet, ſive per cutis ſpiracula, ſeu per ductus admodùm patentes, in *maſſam ſanuineam* inſinuaverit, tumultuationes in *llâ* commovens; profectò nil dubii, *cruoem* qualitate perquam malignâ *imprægatum*, inviolabili *circulationis* lege *Cor* ranſire, & *viſcus nobile* injuriâ afficere, & ab aſſiduâ *cordis* irritatione hoſtis xpugnationem enitentis, poſſe *palpitaionem* oriri: verùm ego hunc *cordis* afectum, ob multiplicem ibi *fibrarum nervoſarum* contextum accidere pro veiſimili habeo; nempe *miaſma peſtilens* tpote *ſalſuginoſum*, & *acre* nervoſo generi xiſtit *inſenſiſſimum*, unde *motus ſpaſmici* n *viſcere hoc* excitari ſolent, *muſculis* tiam ipſiſſimâ de cauſâ *compatientibus*; uoad hæc in ſuâ quiſque (per me licet) t opinione.

Quàm tamen vehemens *cordis* palpiitio induci poſſit à labe peſtifera, hiſtoa ſequens apertiſſimè evincet: Puerum

inviſi annum ætatis agentem circiter decimum quartum, ſolus hic, matre ipſius, & reliquis è familiâ languentibus, per dies aliquot incolumis perſtitit, qui tandem ex improviſo tam violentâ *cordis* palpitatione corripiebatur, ut *concuſſionem* & velut tripudiantis *motum ſpaſmicum* mihi, & aliis à longè obvium eſſet exaudire; incaſsùm, & abſque ullo levamine omnia quotquot erant ad manus exhibui medicamenta, perendiè enim correptionis optimæ ſpei puberem vita defecit: ſi quid ſuper hâc re conjecturâ aſſequi conceſſum, à Symptomatis *impetu aſſiduo* non tam *vaporum noxiorum*, quàm *Carbunculi* in *viſcere illo* emergentis ſuſpicio injecta.

Ut progrediar, in Symptomatum cenſu *Sudor* locum meretur, cùm aliqui tam *Copioſam* ſubirent *profuſionem*, acſi ἱδρώνοσος fuiſſe rediviva, à quibus *ſeroſa colluvies*, torrentis inſtar, uſquequàque effluxit, cum ſubitaneâ virium proſtratione, & ſummo vitæ periculo, ob *ſpirituum* fugam, *humoris radicalis* profuſionem, atque *caloris vitalis* extinctionem.

Equidem ignoro quid potentiùs *attenuet*,

*nuet*, & *colliquet* humores, atque *ſuccos fluxiles* per habitum corporis ocyùs *diffundat*, illoſque demùm efficaciùs per *cutanea exprimat ſpiracula*, quàm *peſtilens Nitroaereum*; cujus *vi colliquativâ*, partes etiam carneas in *halitus* faceſcere, & reſolvi *vaporoſos*, minimè apud nos novum, & inauditum.

*Sudores* inſuper correptorum non tantùm *copioſi* erant, ſed etiam *diverſicolores*; viſus nimirum *color* in his *citrinus*, in illis *purpureus*, in aliis, atque aliis *viridis*, *niger*, & quandòque velut *ſanguinolentus*, juxta (ni fallor) ſeminarii venefici, humorumque congeſtorum, è vario *ſalium* genere conflatorum, *mineras*, & *tincturas*: ideòpropter *mulierculæ quædam* peritiores ab *induſiorum*, & *linteorum* inquinamento decolori, quid ominis *ſudore diffluentibus* eventurum, haud perperàm augurabantur.

Nonnullorum *ſudor* tam *fœtidus*, tam *ingratus*, ut vix quiſpiam ſalvis naribus ferre potuerit *graveolentiam* ab *Empyreumaticâ* forſan ſuccorum, & humorum *degeneratione*: Sæpenumerò emanavit *ſudor* cum *dolore lancinante*, & quaſi *cauſticante*;



*cante*;

*cante*; hinc collectu facillimum, quâ minerâ ortum *ſeminarium peſtilens*, ſcil. ab *hoc ichore* (modò verbo venia) *acri*, & *mordaci* excoriationes interdum factæ, tanquam partes affectæ fuiſſent aquâ ferventi ambuſtæ, vel aliàs veſicatæ.

Quandoque *ſudores frigidi* prodierunt, calore *intùs* æſtuante, & *ſiti urgente inexplebili*: Aliqui à principio indeſinentèr uſque ad Animæ tranſcolationem *ſudore* manarunt, induciæ breves, & incertæ aliis conceſſæ; nonnunquàm unum latus immodicè udum, reliquo corpore ob ſiccitatem dehiſcente.

Verùm levamen, & emolumentum ab hâc evacuatione, modò *regularis* eſſet, ſive *ſpontanea*, ſeu *artificialis*, tam inſignitèr emicuit, ut *Correpti* quotquot ſuperſtites, *ejus commoda* benè norint, *encomia* paſsìm celebraverint; *miaſmata* quippè *peſtilentialia* alias *proſcriptionum* leges nullo negotio eludentia, veluti *ſigno dato* per inſtitutam *diaphoreſin* illicò evocabantur: Ubi autem diaphoretica remedia ob *congelationem*, *viſciditatem* vel *contumaciam* ſeminarii peſtilentialis non vicerint, res ferè perpetìm malè ceſſit,

inſtante

nſtante utplurimùm *ſudore Symptomatico* *liquorum* ſeparatione fatali.

Eximia *veneni peſtiferi* vis non ſolùm e prodidit in *ægris* adhuc *viventibus*, qui oti(ut dictum)*madere* ſolebant,acſi *febres* *Ielodes*, ac *Typhodes* eos invaſiſſent, ſed & *adavera* haùd infrequentèr ſudore multo *iffluentia* vidimus, *veneno* ſcilicet *peſti-ero* eoùſque colluviem ſeroſam *fermen-ante*, & lachrymulas proh dolor! ſeras er apertos cutaneos vel *mortuorum* ocel-os ubertìm *cogente*.

De *narium hemmorrhagiâ non neceſſe* abeo, ut fusè agam; Symptoma hoc ongè crebriùs à *labe peſtifera* ſanguinem *undente*, & vaſorum oſcula *reſerante*, uàm à *verâ plethorâ* ortum ſuprà edocui; ujus verò fidem certiſſimam fecit, non am per ductus illos admodùm exiles *Stil-icidium*, quàm coccinei liquoris *proflu-ium* nullo obice *ſiſtendum*.

Niſi quòd brevitati conſultum velim, nihi in promptu eſſet plura recenſere ymptomata, *febrem*, *Luiſve complica-ionem* concomitantia, putà *incendium* *ræcordiorum*, ſingultum, inteſtinorum ormina &c. quæ omnia impræſentiarum mitto

mitto Symptomatum agmen Clauſurus ſignis *Lui* magis peculiaribus, & imprimis de *veſiculis peſtilentialibus* Anglicè **Blaines.**

Papulis his in veſiculam exurgere ſolenne erat cum dolore lancinante, & exquiſito, humore intùs ſeroſo, ſeu ichore, coloris utplurimùm citrini, & velut ſtraminei, circulo diverſicolori pluriès rubicundo, munitis, & circundatis.

*Puſtulæ hæ* in quâvis corporis parte emerſerunt, quarum uti *Statio varia*, ita earum *numerus* omninò *incertus*, in quibuſdam *paucæ*, *plures* in aliis, unam *ſexûs ſequioris* vidi totam iis ſcatentem, quoad *magnitudinem*, regula nulla aſſignaretur, *veſiculæ* enim plurimæ *fabam minorem adæquabant*, quandoque tamen intumuerunt, *grandiuſculæ* nucis myriſticæ haùd impares.

Liquor incluſus, *ſuppurationis*, (naturæ fortaſſis cum urina congeneris) omninò incapax erat, qui utpote *ſalinus*, & ferè *cauſticus*, poſt tantillam moram è *ruptâ*, vel *Corroſâ cyſti* effundebatur, cujus *color* nunc *citrinus*, nunc *lividus*, nunc *nigerrimus*: *circulus* inſupèr tuberculum am-

ambiens, non ſemper *unius faciei* erat, *inflammatio* licèt *ſumma* in principio hujuſmodi eruptionis perpetuò apparuerit.

Hoc ſanè notatu digniſſimum viz. quod *puſtulæ hæ* interdùm prodibant citrà ulla alia quæcunque *invaſionis* indicia, vel (prout ſuſpicor) propter *inquinamenti venefici* ſeparationem expeditam, & abſolutam, effætamve contagionem, vel propter craſin *corporis* firmiorem: Quoties *dolor* partis, ejuſque *ardor* in tantùm aucti erant, ut remediis non locum darent probatiſſimis, toties à confluxu illìc turmatìm *particularum peſtilentialium* ſphacelationis periculum imminebat: memini *veſiculæ unius* in *Carbunculum* mutatæ, à *lixivii* ſcil. *acutioris* acceſſione.

Recto jam ordine ſequitur *Bubonum* diſquiſio, qui ſunt tumores duri, & dolorifici, cum inflammatione, glandulas ad aures, alas, vel inguina ſitas, obſidentes.

*Tumores hi* ſtatim à correptione, tam *duri* deprehendebantur, ut *tactui forti* non cederent; in his globuli velut luſorii

*mobi-*

*mobiles*; in aliis *fixi*, & *renitentes*, tenſio tamen indiès paulatìm remiſit: A tumorum *incremento celeriori*, vel *tardo*, item à *ſuppurationis* promotione legitimâ, ſeu morâ, atque etiam *à veneni peſtilentialis* gradu, de bonis, vel malis ægrorum rebus judicandi argumenta duximus.

Vociferationes, querelæ, & non ementitæ *languentium* lachrymæ, doloris ſummi *impetum* palàm eloquebantur; nonnullis *ipſi cruciatus* propè excuſſerunt *doloris* ſenſum; cujus rei decreſcet admiratio *auræ peſtiferæ*, inſimul ac *glandularum* naturam, ac conſtitutionem ſeriò contemplanti: De virulentiâ, & corroſivâ *mineræ peſtilentialis* qualitate, tam prolixè diſſerui, ut pluribus non opus fuerit: proinde qui *glandulas* ſcrutabitur, à *Vaſorum* in hoc affectu *mirâ diſtenſione* facilè reperiet, *nervoſam propaginem*, cum *lymphæductuum famulitio*, & *liquorem* in iis *ſcaturentem*, ortui *Bubonum* plurimùm conferre.

Viri plures, toto orbe celeberrimi, *glandularum* anatomiam, & uſum dextrè tradiderunt: mihi itaque ſufficiat ad

rem

n hanc dilucidandam oſtendere, à uoribus per nervos *brachiorum* præcipè & *crurum* &c. ampliores, vaſaque ſubvientia tranſcolatis, propter eorum *ſtructiones*, ob particulas immixtas terogeneas, & veneficas, *Bubones* proci poſſe.

Si quem ſcrupulus malè habet, cur pos ſub *axillis*, & in *inguinibus*, præter *rotidas*, ſe tumores hi exerere ſolent, àm alibì; ſciat velim, id à nervorum, vaſorum aliorum *glandulas* conſtitutium, *magnitudine*, & *capacitate*, nec n ab illarum ſitu pendere, eâdem de uſâ ad *ſuppuratinem* vergentes.

Ut clariùs res tota eluceſcat, nodus : commodè expediendus, viz. à quo nte *materia* fluat è quâ *pus* confectum, *Bubonibus* quoque tantâ copiâ emans?

In hujus controverſiæ ventilatione, hi fas ſit, non ſine rationis prætextu, m *Veterûm* & *aliorum quorundam* Doinâ de veritate liberiùs diſſentire: *radoxum* non protinùs *inauditum* fingo, d ab aliis excogitatum illuſtrare eram dabo, viz. quod *Sanguinis ſolitarius*

*rius* minimè in *pus* convertatur, quin po tiùs id è *ſuccis aliis* conflari; cui hypotheſi argumenta ſequentia fidem adſtruere videntur.

Primò *ſanguinis flumen* in genere venoſo, & arteriis fluctuans, tametſi interdùm (quod perrarò accidit) *albicet*, propter immixtam nimiam *ſucci nutritii* copiam, forſitan & *degeneris chyli*; nec *mixtu*, nec *tinctu* facilis, neutiquàm tamen in *pus* degenerare queat, circulatione perenni *quietem*, & *moram* ſuppurationi apprimè neceſſariam inhibente; præter ineptitudinem *cruoris* utcunque *extravaſati* ad ſubeundam ejuſmodi alterationem: Quòd ſi *vaſa aliqua*, ſaltem *capillaria*, ob *contuſiones*, vel *alitèr* fuerint *obſtructa*, ita ut *vicinæ partes*, & *ſubditæ* intumuerint, *Medicorum* & *Chirurgorum* (uti ſpero) neminem fugit *Medicamentorum* ope *nitroſumptorum*, atque *cataplaſmatum* uſu *diſcutientium*, motum, & diatheſin ſanguini priſtinam conciliari, dolorem leniri, & tumorem mox poſſe evanidum reddi.

Quòd ſi *cruor* vaſculis fuerit *laxatus*; arteriorum in *Aneuriſma* faceſcere, quo in

affectu per *venulas capillares*, aut *vaſa* *lonea*, impar licet, conficitur *circulatio*, enoſum *ecchymoſin* inferre, *fugacem* tmen, & citò *delebilem*, tranſpiratione *articulas ſeroſas* evacuante, & circula-ione *ſanguinis* reſtitutâ *nil* quidem in re Medicinali magis *obvium*, & *familiare*: in verò contigerit ſanguinem *grumeſcere*, *z ſtagnare*, febris mox effera accenditur, on niſi illius *cauſaria miſſione* ſedanda; ltimò, cui ignotum hoc in caſu, vel *chirrhum*, vel *mortificationem* imminere, ve (prout nonnullis placet) *affectum anoroſum*?

Quum non ſine *virium*, pænè dixeram *vitæ* iacturâ, *venas correptorum* ſecari nimadverterimus, at quò copioſius *pus* è *Bubonibus* emungebatur, eò res ægri ecurior habita; rationi haud abſonum videtur, ut ſi *pus* foret *cruoris* fætura, ob nimium ejus diſpendium paritèr *vires* proſternerentur, ac *celebratâ phlebotomiâ*: pro comperto autem habuimus (uti ite-rum atque iterùm admonitum) quòd *ſanguis* parcâ licet manu *Detractus*, & per vices, majori ægris nocumento erat, quàm *pus* è *bubonibus* ad quantitatem

plus

plus centeſſimam *effuſum*, cujus in pleriſque damno reſarciendo vix dum ſufficere poterat univerſus *maſſæ ſanguineæ* theſaurus.

Si patroni opinionis adverſæ ſuggererent, quòd ſuppuratione nondùm confectâ *cruor* è tumore recenti, & ſine morâ aperto, elici ſolet; & inde colligerent ab *arteriis*, & *genere venoſo* puris rudimenta proficiſci: paratiſſimè reſponderem concedendo *tumorem* nuper *exortum*, cultro intempeſtivè immiſſo, *ichorem cruentum* evomere, *venis* ſci. tum *capillaribus*, tum quandoque *majoribus* quàm proximè *adjacentibus*, in operatione illa peragendâ *vulneratis*, & interdùm *diſſectis*; tumore autem ad *ſuppurationem* vergente, *cruoris* per vaſa illa *tranſitus* impeditur, nempe ob copiam *humoris* illic *ſtagnantis*, partem ſuperiorem *elevantis*, & *diſtendentis*, & eruptionem *molientis*; qui initio licèt *tenuior*, magiſque *crudus*, partium tamen vicinarum *calore*, & ex *ſua indole* inſpiſſari ſolet, & in *pus ſubalbicans* debitæ conſiſtentiæ, & coloris *excoqui*.

Tertiò his accedat *ſanguinem* quatenus

*ſalſu-*

*alſuginoſum*, eatenùs ad *pus conficiendum* rotinùs *ineptum* fore; pari quidem ope-e *Oceanus ipſe*, aut *Muria*, ac *Sanguis purus* n gelatinam coquantur; eò quod *Sal* quido affuſo *ſolvitur*, & eâ de causâ *quidiores* reddit *liquores* iiſdem immix-us, (non hìc verba facimus de *ſalibus* ob ineram adverſam in menſtruo appro-riato ſolutam *coagulantibus*) exin *fruſtra-* à *incraſſatione* omne *ſuppurandi* conamen uditur.

Poſtremò, nil in rerum naturâ magis xploratum, quàm *ſanguinem* quocunque odo *extravaſatum*, modò omnis illi æcludatur reditus, poſt aliqualem mo-m maximâ ex parte *grumeſcere*, adeò-ue ex hujuſmodi *tumoribus* poſt aliquot erum intervalla *apertis*, fluctuatione iam ſuadente ſectionem, vix quid præ-r *cruorem Coagulatum* prodire: ſiquis ſuper venâ tunsâ *cruorem* à parte Chy-sâ *ſeparabilem*, ſubjecto vaſe calefacto ceperit, & *illum* ſuper cineres vitro lè obturato ad *blandum*, & ferè *vitalem* nis *calorem* collocaverit, optimè dig-ſcet, omninò perditi operis eſſe, è uore illo *puris ſtamina* expectare,

*colore*,

*colore,odore,cæteriſque neceſſariis* conamina *refellentibus*.

Quidni igitur ſtatuam juxta mentem, & Authoritatem *Medicorum quorundam* magni nominis, è *ſucco nutritio* non in venoſo genere, & arteriis *innatante*, ſed potiùs in aliis vaſis, & ductibus *incluſo*, pus confici; in quo conditiones ſingulæ ad *puris* generationem neceſſariæ conve-niunt, viz. ab hoc fonte *liquoris benigni* cornucopia, *incraſſationis* capax, *inodo-rum*, *album*, *læve*, & *æquale* pus *conſti-tuentis*, calore etiam leni, & regulari *ic* promovente, in *glandulis* itaque ratione *vaſorum dictorum* & *liquorum*, pus con-fici, pluſquam pro veriſimili habeo, & non è *ſanguine venoſo*, multò minùs *arte-rioſo*.

Cæterùm nè à re propoſitâ nimiùm declinare videar, illuc redeat undè de-flexit calamus: *Sanies* è Bubonibus *ex-creta* erat *multiformis*, nunc *tenuis*, & *ichoroſa*, nunc *craſſior*, & magis *ſincera*, veluti in *abſceſſibus* malignitate *deſtitutis*; quæ inſuper ratione *odoris* ſæpenumerò tam *fœtida*, ut ejus *graveolentia* nauſeam adſtantibus pareret; puris quò *evacuatio*

*copio*

*copioſior*, eò ſecuriùs ægro res ceſſit, confluentibus illùc humoribus, & per apertam portam exoneratis.

*Numerus* Bubonum *incertus* erat, quandoque *unus*, ſæpè *gemelli* uno partu exclusi, & nonnunquàm *glandulæ omnes*, affectionis capaces, intumuêre: *plures Bubones* & *labis veneficæ* affluentiam, & ejuſdem *diſſeminationem* quaſi digito monſtrarunt, è contra *pauciores* venenum haùd ita multum, & contractius fuiſſe, plenamque ſegregationem peractam.

Bubonum *rectitudo* vix unquàm *certa*, aliquoties *unus* ſub axillâ dextrâ, *alter* ex adversâ parte *inguinalis* protuberavit: *tumores* etiam hi frequentèr erant *diales* & *inſenſibilitèr ſoluti*, ſudore nimirùm exorto *evaneſcentes*; verùm *qui* leviſſimum ob errorem ſe *ſubducebant*, his ad plures vices *ſuccreſcere*, & *reſilire* pro more erat, ægrè deincèps *figendi*: *Bubones* interdùm *ſuppuratos* poſt uberiorem *puris* effluxum animadverti *recidivos*, quod loco certo proferam.

*Parotides* etiam à *glandulis affectis* appellationem mutuantur circa radices aurium germinantes; *tumores hi* quando-

quidèm non ab aliis, niſi *ſitûs* ratione diſcrepandi, non opus habeo de iis fuſiùs diſceptare; quò tamen res illuſtrior evadat, ſit hoc unum, multorum vice, exemplum; in *Juvene quodam* utramvis pone aurem *ampliſſima* emerſit *Parotis*, è quibus ſuppuratis, ſectiſque, ſanies ubertìm emanavit, ulceribus brevi à *manu Chirurgicâ* dextrè expurgatis; carne interìm muſculosâ penitùs abſumptâ, viſu quidem non minùs jucundum,quàm mirabile, *venas jugulares externas* cum *ſubjectis arteriis*, *nervum recurrentem*, *tendines*, *œſophagum*, omnimodum denique *vaſorum* apparatum *nudum*, & *illæſum* conſpicere, ægrotus tamen (favente Numine) & carne foveas adimplente integræ ſanitati reſtituebatur.

Commentum ſatis ingenioſum Cl. *Diemerbrochii* venit hìc expendendum, vult ille *Bubones* produci *ſalini*, & *acidi humoris occurſu*, factâ ſcilicet ebullitione, tanquam ſali Tartari ſpiritu Vitrioli admixto: verum unde (ſi Diis placet) *coagulatio tanta*; profectò non licet reclamare à liquorum iſtorum congreſſu *tumultum*, & *commotionem* cieri, nec non à

lite

te illâ *ſalinas particulas* præcipitari, ac gi; neque inficiari ſubit *partem inflari*, *tumidam reddi*, ſi modò in eâ fermenitio hujuſmodi excitaretur: verùm me dhuc latet, quo pacto è liquore iſto litèr coagulato, pus confici poſſit; afiſo enim liquido *ſerum* longè citiùs eadet *lixiviale*, quàm *purulentum*; *quietâ* roin & *ceſſante conturbatione*, tumor licò ſubſidere, & evaneſcere aſſolet; bi *Bubones* è contra gradatìm indies uſue ad *ſuppurationis* ſtatum proficiunt, & ugentur: ſuper hâc re Lectorem pluriius fatigare nolo, ad *Carbunculum*, ſive *nthracem* jam opportunum progreſſu ucto tranſire.

*Carbunculi deſcriptio.*

Eſt puſtula minutula, cujus liquore tpote pauciſſimo ocyùs abſumpto, vel vacuato, tuberculum ſe exerit cruſtoım, granulo milii haud abſimile, furım prorepens, circulo rubicundiſſimo, elut igneo cincta, cum pruritu imprimis, ein cum vehementi dolore, & ardore tenſiſſimo orta, à lixivio venefico auſticante.

Ut multa paucis abſolvam, mihi nunc hoc penſi incumbit, nempe vulgarem *eruptionis* methodum tradere; *Dolor* initio *acutè pungitivus* correptum in parte affectâ graviſſimè infeſtabat, quæ mox ſensìm incaluit, tunc cum levi pruritu veſicula eminebat; cùm verò à calore inſigni, & adurente abſumeretur tantillus liquor, vaginâ admodum tenui, vel ſtatìm corrosâ, vel ab incautâ frictione diſruptâ, quicquid liquoris incluſum effluxerit hinc multis de *puſtulæ hujus* prægreſſu anſa ſubdubitandi, *veſiculâ* quovis modo *exinanitâ*: *eſchara* erat conſpicua ulcuſculo ſuperinducta, ejus *incruſtatio ruida* in his celeriùs, in aliis tardiùs proſerpſit: *circulorum* extenſio varia, nunc *arctior*, nunc *latior*; nec minùs *color* incertus fuit, ob ſummam licèt inflammationem *rubicundiſſimus*, utplurimùm tamen *ſubfuſcus*, perſæpè *liveſcens*, circulus etiam à peculiari *mineræ peſtilentialis* venenoſitate, & quandoque ab aduſtione nigricabat.

Quandoquidem in *veneno peſtifero* vis latet] *cauterio potentiali* haud cedens, à quo in *Carbunculorum* generatione *Eſchara* exci-

excitatur, magni quidem momenti eſſe arbitror diſquirere quî fiat, ut in corpore humano *humor* tam *acris*, *adurens*, & *cauſticus* procudi poſſit, & quâ *Naturæ* ſolertiâ *illum* à liquoribus aliis *ſecerni*, & *ſegregari* contingat?

Mihi ſubobſcurum ingredienti tramitem ſi inopinatò forſan ceſpitavero erit indulgenda venia; Corpora noſtra *minerarum venenatarum* fæcundiſſima eſſe ampliſſima morborum domeſticorum familia exindè prognata pleno ore atteſtatur, ita ut æquè de cœlo, & terrâ dubitandum ſit.

Quinetiam *inſecta multiformia*, & *animalcula* peſſumè *viroſa* (quod in obſervationibus medicis vulgare, & tritum) intra nos *genita*, originem detegunt; etenim quis neſcit præter varias *ſuccorum degeneratorum* corruptelas hujuſmodi *fæturas*, & illarum *ſemina* interdum à *causâ aliquâ externâ* pendere; certè res hæc in *peſte* (modò ſit verbo venia) *privatâ* clariſſima, ubi citra aliquale *contagii externi* adminiculum, non ſolùm *vipera* generetur, aut *minera arſenicalis*, ſed & *Anthrax* proſiliat; vi ſcil. *humorum* ſepticâ

ſeu peculiari *ſalinarum particularum* elaboratione *illum* parturiente.

Quamobrem, ſi res ita ſe habuerint, in *peſte privatâ*, Lues *ſeminario epidemico* ſata, utpote *indolis ſalinæ præpotentis* tum humores in corpore humano priùs delitescentes acuere, tum novam inducere malignitam valet ad *Carbunculorum peſtilentialium* ſuſcitationem,& geneſin abunde ſufficiens.

Prout igitur *ſalſuginoſius* fuerit *ſeminarium*, ejuſve *plus*, aut *minus* introhauſtum, eò *plures*, aut *pauciores*, eò *citiùs*,aut *tardiùs* etiam proſilierint *Anthraces*: res non exigit ut *aliarum ægritudinum* rudimenta commemorem, tamdiu conſopita, quouſque tempus deſtinatum *eruptionis* inſtiterit; ſiquidèm contradictionis ſuſpicione vacat, languentes nonnullos *Luis privatæ* ſymptomata perpeſſos, malo non adulto, ac in *Peſte publicâ*; in quâ *irritatio* tam *potens*, & *efficax* ut (ubi ſpes victoriæ ſeparatione confectâ affulſerit) confeſtìm excutiant *ſucci* quodcunque *iis* moleſtum, & *id proſcriptum* ſemel & *extravaſatum*, in partes vicinas, præcipuè externas amandent.

Quam-

Quamdiu intra vaſorum parietes, unà
um liquoribus, *venenum peſtilens* labi-
ur, quia tunc (utpote dilutum) *benig-
ius*, non æquè *invaleſcit*, ac *ſegregatum*,
tque ad *cutim* vi naturæ *propulſum*;
uam ſanè eliminationem promovere vi-
lentur *ſeri* per poros *effluxuri*, & *aeris
itroſi* per eoſdem *ſubintrantis* congreſ-
ùs; ſaltèm nil magis in propatulo, quàm
*irus peſtilentiale* foràs ejectum, in par-
em *ſeparationi* viciniorem (ſi commodè
iat) malitiæ vindicias, & trophæa de-
onere; idem obtinet non tantùm *graſ-
ante peſtilentiâ*, ſed *poculis hauſtis* etiam
*enenatis*.

Offendiculum unicum hìc nobis reſtat
eſtinantiùs amovendum; ſolus quippe
*nſigniſſimus Diemmerbrochius* commune
*eterum* ſuffragium impugnare, & ever-
ere nititur qui vult *Anthracem nil aliud
ſſe niſi Gangrænam in fieri*, ſiqua tamen
ides obſervationi noſtræ haùd *Cl. viro*
poſtponendæ, non animadverti (ubi nul-
lus applicationum externarum error, nec
peſtilitas præter morem effera) *Carbun-
culos*, quàm cæteros *labis peſtiferæ* effectus
ad *Sphacelationem concipiendam* magìs fu-
iſſe propenſos.

Quòd

Quòd ſi innumera licèt hujus rei teſtimonia in vindicias veritatis non ſuffecerint, argumenta quædam in ſubſidium vocabo viz. dato, & conceſſo *ſpirituum vitalium*, ſimul ac *liquorum* in partem affectam influxu liberrimo, *calore* etiam *nativo vigente*, & non *præfocato*, *putredine* demùm *fluorem conciliante* procul ablegatâ, quis mortalium in *carbunculo ſolitario* aptitudinem, & diſpoſitionem peculiarem ad *ſiderationem ſubeundam* ſubolfaciat? præcipuè cùm tantum abfuerit prodeunte *Carbunculo ſpiritus* intercipi, ut majori quidem copiâ turmatìm illi confluxerint, tantum abfuerit *calorem nativum* penitùs *extinctum* fore, ut ejuſdem vi *ſalutaris* peragatur *ſeparatio*, tantum denique abfuerit *partem affectam computruiſſe*, & *redditam fuiſſe ſolito humidiorem*, ut *particulæ ſalinæ* quatenùs *eſcharoticæ*, putredinem potiùs arceant, & exiccando *ipſius morbi* malo pares quodamodò evadant: vix unquam (ſicut memini) *Anthrax* in *Gangrænam* degeneravit niſi *Chirurgi* imperitia, vel incuria meritò culparetur, ſive ſumma *miaſmatis venefici* malitia Νίκρωσιν inferret.

Nulla

Nulla humani corporis pars à *Carbunculorum* invaſione ſarta tecta; in errore non ero ſi in membro quolibet me aliquandò unum conſpexiſſe aſſererem; ſed rem hanc melius conficere videbor, ſi paucas è mille ſelectas protulero hiſtorias.

Puella undecimum circiter agens ætatis annum, *dolorem* perſenſit *acutiſſimum* circa *regionem cordis*, ubi *prominente* primùm *puſtulâ* mox *Anthrax* germinare cœpit, eſcharâ tandem deciduâ, & ulcere *pus ſincerum* evomente, poſt elapſos viginti dies res *ad Sevis ſaltum* perveniſſe videbatur ſalva; *Chirurgus* autem mercedi inhians, præmaturâ *ung: deſiccativi rubri* applicatione, *cicatrizationem* heu nimis feſtinans induxit, recidiva enim Lues *virgunculam* triduo interfecit ob *veneni* ſine dubio *reliquias* minùs cautè *incarceratas*.

Caſus alter penè fidem ſuperans, niſi oculatis teſtibus fuiſſet conſignatus, *viz.* è mulieris ubere mox à partu *Carbunculus* prodiit, *infans* tamen toto morbi ſtadio lactens, nil hauſit incommodi, *puerpera* etiam (cœlo annuente) omnibus *v. a. e.* fidè præſtitis brevi convaluit. Quin &

acci-

accitus eram ad *Virum* ætatis provectæ, cujus *univerſum crus*, & *coxam* ampliſſimus poſſidebat *Carbunculus*, veſica ſero ichoroſo admodùm repleta inſtare *ſphacelationem* apertiſſimè indicabat; ubiprimùm itaque de *accitu tardo* multa conqueſtus eſſem, *dato* etiam *prognoſtico*, *ſcarificationem* inſtitui ſatis profundam, atque alia id genus imperavi, *ſeparationis* ſpes affulſit momentanea, *virtute* autem *langueſcente*, immò & *deficiente*, Animam à corpore ſejunctam nequis miretur; *Alter* enim cui *habitus robuſtior*, eodem quoque malo laborans, non aliâ de causâ, quàm ob *vires vividas* auſpicatò ab illo reſtitutus fuit. Vidi inſuper in puero *Anthracem Buboni inguinali contiguum*, ut uterque vix duos digitos tranſverſos diſtaret, medico tamen *conſilio*, & *manu chirurgicâ* methodo licèt curationis variâ, æger à *gemellâ affectione* liberabatur.

Mercatoris cujuſdam brachium paulò infra cubitum *Anthrace* afficiebatur, in curationis limine mali erat ominis ægrotum *doloris* omninò impatientem, qui conticinio cataplaſma noſtrum tolli, & ceratum (quod ipſe apud ſe habebat) refrigerans ſuperimponi

poni ad cruciatus demulcendos, vel nſopiendos curavit; diluculò brachium vaſit *Gangræna*, cui ut obviam iremus, *carificatio* pro more inſtituebatur, in cu-us celebratione *Chirurgus* parùm cautus enam ſecuit, fluxum ſanguinis rapidum, ec *cauterio actuali*, neque quovis alio emedio ſiſtere potuimus; ſumma hinc irium proſtratio, intra trihorium *Vir* *igniſſimus* in cœleſtium album conſcri-tus erat.

Poſtremò, in *Puellæ* digito annulari, ve medico, *Carbunculus* ſuboriebatur, radicationi ejus ſedulò incubuimus, & mnia videbantur ex voto ſecura; ſed cce fluctus rerum humanarum! *virgo* uippe, & *vetula nutrix* unà cœnantes, d ingluviem uſque *fabas Gallicas* devo-abant, quod ambabus luctuoſum acci-lit; ſci. ipſiſſimâ nocte *morbus* rediit, & quamvis *vomitu enormi* fatigatis (præmiſſo emetico mitiori) *remedia Car-diaca*, & *Alexipharmaca probatiſſima* ex-hiberemus, diluculò *Anthrax novus* in prioris vicem ſuccrevit, toto die delira-vit *puella*, & veſperi animam reddidit: poſtquam *veſpillones* hujus cadaver eâ-

dem

dem nocte ad ſepulturam duxiſſent, *vetulam*, quam vitâ defunctam rebantur, demùm exportaturi, *miſella* velut *expergefacta* ſe nondùm fatis ceſſiſſe vociferata eſt: pactio itaque inter eos inita de tantillâ funeris procraſtinatione, *Anus* nè rurſus funerandorum corporum miniſtros falleret, bonâ fide occubuit, & tempore Statuto culinis condita eſt.

Volumen facilè impenderem, ſi *omnes* ſingulatìm *carbunculos* recenſerem; priuſquàm verò argumentum hoc miſſum faciam, minimè hujus rei excidat memoria, viz. *Contagii peſtiferi* ab uno *Carbunculum* gerente ad alterum *tranſmiſſi* multoties ex *Sympathiâ*, vel explicatiùs loquar propter *virulentiam ſalſuginoſam*, ſitu etiam obſervato, *fraternum Carbunculum* excudentis.

Numerus *Anthracûm* indeterminatus erat, interdum *duo*, *tres*, *quatuor*, *pluresve* unico *Naturæ* partu editi, *diffuſo* nimirùm ad varias, diſſitaſque partes *veneno peſtilentiali:* in Sectionem, ubi de *Carbunculorum* curatione agitur, cætera ſuper hâc re dicenda relego, pauca jam ſubjungam de *Petechiis peſtilentibus*.

Pe-

*Petechiæ* ſunt minutulæ, & ſupercuta-
eæ efflorescentiæ à *pulicum* morſuris vix
iternoſcendæ; hoc tamen intereſſe di-
criminis videtur, nempe in *vulneris pu-*
*cularis* Centro punctum apparere ſolet,
bi *fera* repulſum impreſſit denticulorum,
ambitu *inflammatio*, & quantilla *ſangui-*
*is* extravaſatio: verùm *unicolores* utplu-
imùm erant *hæ maculæ*, & impreſſione
actâ *Stabiles*, nullo ſanè artificio *dele-*
*iles*: quòd ſi *morſibus* digitum admove-
is, hi aliquandiù tantùm evaneſcunt,
*uncturâ centrali* præſertìm *immutatâ*:
orrò diſtinguendæ *petechiæ* ab *eruptio-*
*ibus maligno-febrilibus*, *exanthemata* e-
im *peſtifera* utpote *coloris ſaturatioris*,
ec non magis *inſenſilia*, facilè vel *intuitu*
*rimo*, ſaltem *exploratione factâ* (ut ſupra
nemoratum) dignoſcebantur ab *aliis*, ſive
*ebrilibus*, ſive *maculis Scorbuticis*, hiſce
ci: *amplioribus*, & non perpetuò *circu-*
*aribus*, oculato tamen crebrò innotuit,
*as* perſæpè teſſellatìm *peſtilentibus* fuiſſe
*ntertextas*, & propter *antedictam confæ-*
*lerationem* vix invicèm diſtinguendas.

His adjice, *petechias peſtiferas* non ſem-
per extitiſſe *unius diverſorii* hoſpites,
ple-

plerumque ab unâ aliquâ corporis regione ad aliam indifferentèr poſt brevem commorationem divagantes: certè *pars nulla* immunitatis privilegio donata eſt, quanquàm *maculæ præfatæ* in *collo*, *pectore*, & *dorſo* frequentiùs apparuerint conſpicuæ, *Scorbuticæ* interìm extrema corporis conſuetìm incoluerint; cauſam ſi diſpiciamus, tum à *vaſorum ampliorum* proximitate, tum à *poris* illic *admodùm propatulis* ratio aliqualis aſſignari poterit; in *affectione* etiam *Scorbuticâ* crura utplurimùm ſpectantur maculoſa, forsàn à *particularum quarundam*, *ſalſarum*, *fixarum*, & ad partes infimas præcipitatione quâdam *detruſarum* ſecretione.

*Maculæ* nonnunquàm *paucæ*, *numeroſæ* multoties *viſæ*; in quibuſdam tam *denſæ*, ut univerſam ferè cutim contexerint: *Puerulam* vidi cujus corpus *his* variegatè erat perpictum, *maculæ* tamen omnes ſudore elicito evanuêre, & *ægra* rediit in vices priſtinas: aliquandò tamen is obſervabatur luſus, dolúſque *morbi*, ut periodis incertis *petechiæ* ſemet ſubduxerint, & viciſsìm redierint; *Exanthemata* ſci: toties proſtabant, quoties *Natura* ad *veneni* exter-

terminationem laceſſita erat, quæ vel *ſpi-ritibus tergiverſantibus*, aut frigore ap-pulſo recedere conſueverunt.

Opportunè hic animadvertendum, *pe-techiarum eruptionem* perpetuò ferè fu-iſſe *Symptomaticam*, rariſſimè *Criticam*, quarum itidem non *idem* uſque *color*, *rubicundus*, *violaceus*, *lividus*, *citrinus*, etiam & *nigricans*, juxta *mineræ morboſæ* indolem, & tincturam, *virulentiæ* quoque gradum, vel complicationes varias, inju-riaſve extraneas: hinc *earundem* prompta, & expedita in *Stigmata peſtilentialia* tranſmutatio, ad quæ deincèps progre-dior.

*Stigmata peſtifera* à *Noſtratibus*, Tokens nuncupata, velut *pignora*, ſive *mortis Symbola*, nil aliud ſunt niſi minutiſſimæ, & diſcretæ Syderationes, quibus fre-quentiùs ſolenne primò radices intùs age-re, velut colliculo pyramidali conſurgen-tes; illarum ſci. baſin poſuit *venenum pe-ctiens* intimiùs ſecretum, atque conſuetâ ſtiuſmodi affectuum propagatione par-tes proximas ſenſim corrumpens juxta *pororum* deductionem, & configuratio-nem, cutis ſuperficies tandem commacu-lata fuit.

Quin-

Quinetiam ab extra *Syderationum harum* cauſæ petantur, putà ab *aeris injuriâ*, ubi *miaſmatum peſtiferorum* deficit, vel inhibetur *exhalatio*, ubi illa in *ſpiraculorum cellulis* detinentur, imo & figuntur; adeò ut *ventilatione irritâ* hinc aucta fuerit *mali* virulentia, & in parte affectâ *vitalitatis* extinctio ſecuta.

Non eſt cur repetam, nonnullis *ſtigmata hæc* fuiſſe inuſta ſanitate aliàs inviolatâ; quod niſi abundè conſtiterit, in pleniorem illius fidem, è multis pauca promerem experimenta; ut tamen Lectori cuilibet hâc in re ſatisfaciam, nonnulla enarrabo.

Ad *Puellam* correptionis perendiè accerſitus eram, quæ *citra difficultatem* ſpiravit, extrinſecùs *calor* mitis, & *admodùm blandus*, interiora utique *manifeſti* non conflagrarunt *incendio*, pulſus haud inæqualis, aut irregularis, nullus denique eam torſit cruciatus; è contra verò omnia tam *pacata*, tam *ſerena*, perindè ac ſi nulla ægritudinis procella jactaret, nedùm impenderet vitæ jactura: revera mihi non conſtitit de cauſâ ægritudinis, quam ſimulaſſe morbum ſuſpicabar, donec

*tho*

*thorace nudato* indubia hìc illìc ſtigmata pro more compuncta, partem ſenſu vacaſſe indicaverint, meritò habita properantis fati arrhabones; eâdem nimirùm nocte *puella* expiravit, vix dum vel ſuo, vel aſtantium judicio *valetudinaria.*

Paulò poſt *Viduam* inviſi *Sexagenariam* à quâ (coufecto ferè prandio hàud parco, quippe præter carnes ovillas ſtomachus adhuc latrans pullum gallinaceum expetivit) tolli menſam juſſi: poſteaquàm nonnulla de ſtatu ipſius preſenti percontatus fuiſſem, ſe nunquam toto vitæ curriculo ſaniorem aſſeveravit, admotis exìn digitis arteriæ, intermiſſionem crebram cum formicatione deprehendi, collo demùm & pectoris regione luſtratis, *innumera* detexi *ecthymata*, ſigna proh nimiùm manifeſta *mulierem* benè *pranſam* apud *Inferos* cœnaturam.

Quoad *Stigmatum* utpote non *gangrænatorum* interſtitia, limites ſci. obſervantium, hoc ſalinæ potiùs *veneni peſtilentialis* qualitati, quàm ejuſdem *putredini cadaveroſæ* attribuendum arbitror; *ſeminario* nimirùm *maligno* diſpersìm per *pororum* meatus erupturo, cujus egreſſu propter

 *con-*

*conſtipationem* denegato, nil miri id in *ſpiraculorum cutaneorum* tubulis hærere, & illic concreſcere, impedito etiam *ſpirituum* influxu, Syderationem figuræ orbicularis inducere.

Proinde ab *acore* miaſmatum non tantum *obrigeſcunt* partes extimæ, ſed *vitalitatis* extinctione redduntur *Sphacelationi* valdè obnoxiæ: Sed de his abundè ſatis; nam idem eſſet meridiano Soli lumen mutuare, ac in harum rerum confirmatione teſtimonia quotquot ad manus proferre.

*Stigmata* inter ſe paulùm oppidò diſcrepabant, ratione *coloris*, & *indurationis* diſcriminanda, de eorum *colore* mox diſſeram: Sugillationum *indurationem*, vel potiùs *corneſcentiam* acu majuſculâ, vel ſcalpello explorare mihi pro more erat, ad diſtinguendum *puncturâ* inflictâ, utrum *vitâ ſenſuque* pars privaretur? conſpicuè hinc *ſtigmatum* Varietas, & diſcrepantia; levi negotio *nonnulla* pertudi, *alia* utpote *calloſa*, *cruſtucea*, & *uſque indurata* terebrare plurimum habuit difficultatis: è *ſucco nervoſo*, ſive *gelatinâ quâdam* in gummoſam ſubſtantiam *excoctâ*, vel *concretâ*, aut,

aut, *morticinorum* adinſtar è medullâ oſſis affectâ *ſugillationes has* confici, & oriri conjicio; hùc etiam ſpectare videbatur ſtigmatum quorundam *color ferruginoſus*, & intima cum *nævis* congruentia, horum conſimilitudo in iis diſtinguendis uel expertis quibuſdam præbuit errandi auſam.

In re tam ſeriâ hiſtoriam de *puellâ quâdam* haud infacetam intertexere liceat, hæc ſci: diluculò ædes meas acceſſit, ſoluto poſtmodùm *nutricûm*, & *ægrotantium* cætu, triſtis & conturbata mihi appropinquavit, interroganti quid rei, tremebunda, & pænè prolapſa reſpondit, ſe effractâ domo in quâ cum Vetulâ ſecludebatur (cæteris à Lue jugulatis) ad me venire, horam mortis propè inſtantis percontaturam, inſtiti cauſam periculi imminentis ſciſcitari, tum velut ſemimortua, *ſtigmata* cruri *inuſta* ingemuit, *luſtratis* itaque *maculis* errorem propè fatalem deprehendi, eò quòd *nævi* neque à *puellâ*, nec a *nutrice* priùs detecti utriſque egregiè impoſuerunt; re cognitâ alacritèr virginem mirè conſternatam, & metu frigido exſanguem allevavi, quam omnem protinùs excutere formidinem juſſi, quo-

niam efficaciſſima ad manus erant medicamenta, *Lue* tamen *ſanatâ* cicatrices illas tanquam veſtigia mali indelebilia hæſuras dixi, *puella* ſpei plena domum reverſa ſudavit, à *timore*, juxta ac *omni peſtis ſuſpicione* liberata; reverà perſvaſiſſimum habeo, ut niſi animum ipſo temporis articulo trepidanti addidiſſem, *juvencula* exſpes vitæ concidiſſet, fati quippe advenientis vel mendax præſagium *timidos* exanimare poſſe apud omnes ſanè compertiſſimum.

*Stigmata* autem nonnulla cum *nævis* tam gemella erant, ut non tantùm *puella incauta*, ſed etiam *Chirurgi*, *aliique* illorum faciem, & doctrinam ignorantes gravitèr de iis hallucinarentur: Quin & à punctione *ſtigmatum* præfatâ, an *cutanea*, vel *profunda* eſſent, mihi conſtitit ſatis exploratum; ſiquid enim reſtiterit ſenſibilitatis, ſpem nullo modo abjecimus, eò quòd *ſtigmata* cuti tenus *impreſſa* multoties cum ſenectâ fuêre *decidua*, & è contra *inſignita* quotquot, indubia mortis auctoramenta meritò habebantur, ſi medullitùs penetraverint, extinctâ ſci: vitalitate, & inductâ ſphacelatione: *Comate* autem ſive

*deli-*

*delirio gravi* quempiam premente, ſæpenumerò univerſum corpus ſenſu orbatum animadvertimus; ita ut, ſi membrum intactum, & ſincerum ſecueris, vel prædicto modo fodicaveris, haud gravius damnum ſentiret æger, quàm præſente ſyderatione, Frequentèr tamen memoria ante obitum rediit, ſenſu penitùs deperdito

*Viſcera* porrò, non minùs ac corporis *externæ partes* erant frequenter nigro carbone notata, immò occurrebant quandoque peſtiferè interpuncta, nullis *ad extra* notis tum conſpicuis.

*Stigmatum* magnitudo varia, nunc *contractiora* majoris aciculæ caput referentia, nunc *ampliora*, & magis *patula* viſebantur, oboli, vel denarii nummarii latitudinem adæquantia, interdum è multis minutulis invicèm conglomeratis *conflatæ Vibices*, quæ in *peſte nuperâ* viſu rariores.

Poſtremò, *ſtigmata quædam* erant *depreſſa*, alia *prominebant*, in pleriſque non niſi elapſis aliquot horis ab exitu *correptorum* apparuêre; nimirum *Lui* non ſuffecit mortales jugulare, niſi cadavera exhibuerit victoriæ trophæis adornata: *Nutrices* hâc de cauſa *aſtutiores* cadavera nuper

defuncta linteis madidis induere ſolebant, ut ſci: fermentatione *humorum venefico-rum* ſedatâ, poriſque obſeratis *Præfecti Sanitatis* hoc artificio ſeducti, ædes non occluderent.

Utcunque *ſtigmata* hæc *profunda* perpetuò haberentur mortis *Legati*, tamen ad biduum, ſaltem aut triduum, immò ad dies quatuor ſtigmatici plerique erant ſuperſtites, fato ante oculos poſito, ut vivi, & videntes perirent.

---

---

## Sectio Sexta.

### *De Peſtis nuperæ Signis Prognoſticis.*

CUm tot, tantiſque *Lues Nupera* mortales inceſſerint dolis, & omnifarias miſcuerit neces, ita ut vix certi quid de ejus eventu colligi, ne dùm pronuntiari potuerit, in auguriis tradendis *oculatiſſimos* ſanè, & admodùm *conſultos* eſſe *medicos* impendiò intereſt, nè turpitèr in *ſe*, nè in *Artem Sacram* incauti flagitiosè delinquant, *ſanitatem* deploratis temerè ſpondendo, & pari quidem deviatione, ac inſcitiâ *nigrum Theta* denuntiando convaleſcentibus: quamobrem ut dehìnc infames hoſce ſcopulos *poſteri* vitent, quæ ad rem hanc faciunt non ſine quotidiano vitæ periculo per ſpacium ſemeſtre & ultra, conſcripta in *reipublicæ medicæ* commodum candidè & lubentiſſimè proferam.

*Signa Prognoſtica* vel *ipſam* reſpiciunt *Peſtilentiam*, quoad *ortum* ejus, *ſtatum*, *& periodum*, vel correptorum denotant *interitum*, aut *convaleſcentiam*.

***Ab indiciis Certis, & indubiis eruptionem Peſtis manifeſtam per ſpatium diutinum præcurrentibus, haùd inauſpicatum ſumitur de illius tyrannide præſagium.***

*Conſtitutionem* ſci. *peſtilentialem* apertè indicare ſolent *dolores acres*, & *immites*; item *tumores* locis, partibuſque jamdudùm affectis denuò recidivi cum *ingenti cruciatu*; etenim res eſt haud infrequens, non nova, ut in iis qui pridèm *Luis* impetum ſuſtinuerint, *Bubones*, nec non *Carbunculi* dextrè licèt *ſanati*, iterùm tamen *emergentes*, ob quædam *apparatûs peſtilentialis* Veſtigia altiùs impreſſa, & planè indelebilia, ſive ob *magnetiſmum*, tempus *adventuræ peſtis* ſublucanum è longinquo patefecerint, & morbi malitiam præmonſtraverint.

Quoties inſuper *morbi chronici* in *acutiſſimos* mutantur cum inſuetâ *Symptoma-*

*tum*

*tum* vehementiâ, toties *exitioſa tempeſtas peſtilens* præ foribus; valetudinarii ſiquidem quodvis incommodum, ac detrimentum ſuſcipere ſunt magis parati, quàm alii ægritudinis expertes, & integri: Quocircà à cauſa naturali, nempe aliquali corporis alteratione, obſcura licèt ratio peti poteſt, cur infirmi *futuras aeris mutationes*, & *alias* ab extra *injurias*, quaſi cœlitùs admoniti, citra ambiguitatem prædicunt; & quò *miaſmata vegetiora*, eò citius ægri *prævia* ejus delibant *ſeminaria*; nam *Peſti* ſolenne *effluvia quædam* velut *tot Lictores paludatos* præmittere, quæ *languentes*, & *imbecilliores* primò adorta, eos exercent, & *humorum* diu *congeſtorum* iners Imperium demutando, ad ſe *Dominium* transferunt, ex officio, & gubernationis lege *humores craſſos* ſubtiliantia, *pigros*, & *veternos* acuentia, *fermenta* immutantia, *liquores* accendentia, & denique *alterationes* etiam *contrarias* inducentia.

Huc porrò refertur *pecorum Lues* humanæ peſtis frequens nimìs anteambulo; eò quod *animalia hæc* ſub dio utplurimùm noctu, & interdiu degentia, non *aerem* duntaxàt,

duntaxàt imbibunt *corruptum*, ſed rati-one *herbæ vitiatæ*, cui ſæpè inſidet *tabes peſtifera*, tum quoque propter *virtutis* impotentiam *Luis* vel *tyrocinio* cedentem, *primaria* ejus *rudimenta* ſentiſcunt; uti hinc ingens *pecorum* Lues, ita in aprico proſtant *magnæ peſtilentiæ* vexilla.

Quinetiam quando *de nihilo mortalium animi terrore, & metu concitantur*, & ſunt *portentorum novorum*, & *perhorridorum* aucupes; adeò ut hinc *plebs pavida*, & *conſternata* peſtem avidè præſtoletur, ecquis *præludium ejus* procul abeſſe neſcit?

Certè hoc Problema rationi minùs abſonum videbitur, perſpecto benè *Spirituum* cum *rebus occultis*, & *longè diſſitis* commercio intimo, & familiari; hæc qui contemplatus fuerit, facilè intelliget, ſpiritus *impreſſionum ſubtiliſſimarum* capaces fore, ob commune vinculum conſimilitèr in *phantaſiam* operari, & futuri mali *confuſam* licèt defigere *ideam*, proindeabſque ullâ *miraculi* præfatione eventura præſciſcat populus.

Ultimò, ſingula cujuſcunque ordinis quæ *hoſtis ingruentis* proclaſſicodant ſigna *mali*-

*litiam Luis* utique eloquuntur; auguriis ippe haud fallacibus diu prævolanti- s, impulſum vaticinium ab extimâ *mi- natum peſtiferorum* efflореſcentiâ exci- tum clarè manifeſtat, atque quò mali oditio *remotior*, eò *atrocior* ſolet eſſe *rnicies*, quoniam *irradiationes* in diſtans *nporis*, vel *loci* intervallum propagatæ, *causâ* quidem *magnâ*, & *energeticâ* pen- re videntur; cùm igitur *ortus Peſtilen-* perrarò *inſtantaneus* fuerit, ſed *gra- tim diffuſus* juxta ſci: *lentam*, *clau- mque* nitro-aereæ venenoſitatis *eruptio- m*, ſi modò *prima* ejus *lux* tot hominum culos perſtrinxerit, quodnum precor erit *jubare meridionali* judicium?

*Lues primo ſtatìm ab ortu effera, & exquiſita, brevi ſpatio terminari olet.*

*Peſtem* appellor *exquiſitam*, quæ *ætate obuſtiſſimos* celeritèr jugulat, & confer- im longè, latèque diſſeminata, in omnes ppidò debacchatur, exploſo ſimul, & emel ſeminario peſtilentiali, idcóque itiſſimam fore ejus diſſolutionem, ſive xtinctionem, ſpondere auſus ſum.

*Quantumcunque ſpatii à Luis inchoatione, ſive ortu ad ſtatum par ſanè intervallum ab ipsâ acbm[e] ad ejus receſſum, & periodum.*

Viz. Non per *ſaltum*, ſed *motu regular[i]* progreditur *virus peſtilens*, quod (n[e] plura, vel longinqua loquar) in *peſte noſtr[a]* luculentèr emicuit, hoc ampliùs patebi[t] in Synopſi *funerum* annexâ.

*Sublatâ, evacuatâ, vel extinctâ peſtilentiæ causâ, effectus mox defi[...]cit, & tollitur.*

Uti flamma deſiderato quo alatu[r] pabulo, langueſcit, ac moritur, ita nè ceſſet, pereatque *ſeminarium peſtilens* opu[s] habet *reſocillatione*, *idoneoque alimento*. Fomite nunquam longævius: Luben[s] tamen agnoſco *prunam peſtiferam* aliquandiù poſſe *favillâ* obvelari, & velut *conſopitam* per aliquot annorum luſtra jacere; tandem verò recrudeſcere conſvevit malum poſt lucida typorum intervalla causâ etiamnùm vivâ.

ã, & vigente: hinc fortaſſis quorundam
rror opinantium; mundo *Peſtilentiam* ferè
*ævam*, quam ex occaſione rerum graſſari
uſpicabantur perquam deluſi; illa ſiqui-
em *mineræ peſtiferæ* vegetatio poſt ali-
ualem receſſum, eam radicibus niti pa-
m oſtendit, quibus demùm evulſis, vix
ibi conſtat quæ ejuſdem dari queat re-
ullulatio: hoc omnifaria *peſtium* varie-
s ſat ſuperque comprobatum exhi-
et.

*Præſagia* jam recto ordine ſequuntur
uæ ad *correptorum interitum*, vel *con-
aleſcentiam* propiùs ſpectant.

*Hæmmorrhagia quævis infauſta
anguinis* vel *ſtillicidium* mali habeba-
ur ominis; *fluxus menſtruales* (ſicuti
riùs allegatum) perpetuò ferè erant *fu-
eſti*.

*Alvi fluxus ſaltem in principio ut
lurimùm lethifer*: quâ ſcilicet evacu-
tione *inhibetur diaphoreſis*, *vires labe-
actantur*, *venenum quoque impetuosè petit
nteſtina*, & *ibi nonnunquam Figitur Sy-
lerationum author*: neque minùs res de-
plorata,

plorata, ſi *excreta* fuerint *odoratu fæti-diſſima* citra alleviationem, ſi illorum *co-lor viridis*, vel *niger*, aut ſi *involuntari-fluxerint*, præſertìm ſi afflixerit *Dyſen-teria.*

*Ubi pulmones teneri, imbecilles aut vitiati, res utplurimùm infauſta.*

Equidem neſcio in *Peſte nuperâ*, an unus *Pulmonarius* evaſit; nam obſer-vatione quotidianâ conſtitit *anhelos*, *aſt-maticos*, &c. ob crebram inſpirationem *auræ peſtiferæ* plus imbibere, quin & uſu nimio *tonum viſceris* labefactari, adeò ut *virus peſtilens* in eò velut concentu-rietur.

*Sudores initio proſilientes abſque alleviatione ulla, morbo tunc Vege-tiori, & ægro langveſcente, fatales.*

Irrito viz. naturæ conatu *venenum* fo-ràs propulſandi, illicò evaneſcit, & de-plorata eſt omnis convaleſcendi ſpes; quin & tanto *ſpirituum* diſpendio artus flacceſcere, effætos reddi nemi-nem

nem fugit: diuturnum quoque *ſudoris* profluvium re improſperâ certum habetur *colliquationis* indicium; neque minùs ſuſpecti *ſudores fervidi* veſiculas frequentèr excitantes, & *excorticantes*: præthereà, ſi *ſudores frigidi* calidos exceperint, haud incompertum indiſcrimine magno infirmos verſari: magis autem periclitantur quorum *ſudores cadaveroſi*; quandoque tamen *morbus fælicitèr judicatus* poſt *ſudoris* aliqualitèr *graveolentis* eruptionem, unà tranſpirante *veneno peſtilentiali.*

*Ubi diuturna appetitûs dejectio, ibi res minimè ſalva, ſed è contra longè frequentiùs exitioſa.*

*Stomachi faſtidium* (uti è ſupradictis pateat) inſignis habebatur index correptionis, quo diu urgente omninò neceſſe eſt, ut ob *nutrimenti defectum* collabantur vires, & *ſeminarium peſtilens* victoriam conſequatur, non ſine magna ſuſpicione *eroſionis*, aut *ſphacelationis* in ventriculo.

Sun-

*Surditas cum ſopore parotides mox emerſuras apertiſſimè denotat.*

*Bubonibus citra evacuationem ſalutarem reſilientibus ubi Cætera adhuc urgent Symptomata, res dubia, & utplurimum deplorata.*

Initium victoriæ è manibus noſtris pænè ereptum conjeci, quoties derepentè, & ſine causâ *tumores* ſubſidebant, *venenum* quippe *peſtilens* ſe eximproviſo ſubducens, heu nimis frequentèr interiora petiit, difficillimè evocandum; *ſudoribus* tamen *elicitis* cum *virium tolerantiâ*, haud inſolens erat ut *Bubones* qui nuper *evanuiſſent*, denuò *reverterent* re in vado poſitâ.

*Quotieſcunque tumores vel decolores, præcipue ad nigredinem Vergentes, vel nondùm ſuppurati, vel inſenſiles, ægros in pejus ruere pronunciandum.*

*Bubones quo plures, modò ſuppurati*

*ati eò exitus morbi fortunatior.*

*Carbunculi ſemper magis exitioſi*
*Bubonibus jure merito cenſendi.*

Tum ratione doloris, tum quia ſunt
uratu difficiliores.

*Arctiores Carbunculorum limites,*
*Commodus illorum ſitus, viz. à*
*viſceribus, vaſiſque - majoribus,*
*endinibus* præſertìm, *nerviſque* remo-
ior; quorum inſuper *numerus minor*,
em haùd in deſperatis apertè propala-
unt; Neque minùs è contra *Anthraces*
apidè inſtar *Gangrænæ* progeſſi, *Cordis*
*egionem*, vel *inteſtina* poſſidentes, *plu-*
*es* etiam ſi eſſent, ſive *liveſcentes*, in
ropinquo fata vel luſco exhibuêre.

*Stigmata peſtilentialia, ſaltem*
*rofunda, ſunt mortis angari admo-*
*ùm pernices*, eò quod *mortificatio*
*eneralis* preſſo pede inſequi conſuevit
*articularem:* attamen quandoque (uti è
upradictis conſtat) *induciæ* quibuſ-

dam conceſſæ nunc *biduanæ*, nunc *triduanæ*.

*Symptomatum complicatio vehementium ſæpe ſæpius perniciem præcipitabat.*

Plurima licèt ſigna recuperandi ſpem exhibuerint, unumque noxium contra indicaverit, vix difficilis quidem conjecturæ erat, cataſtrophen appropinquare.

*Ex urinâ Correptorum non Stabile, non exploratum judicium:* horum ſanè *lotio* utplurimùm minimè à *ſanorum lotione* diſtingueretur, aliquandò tamen ejus *graveolentiam* vix ferre poterant *inſpectores*; hoc ſerò nimìs ſapiens *medicus quidam* expertus eſt, qui matulâ arreptâ *odorem fætidiſſimum* hauſit, mox malè ſe habuit, & ſpacium intra triduanum occubuit; adeò ut è re turpi aliquandò lucri odor ſit fatalis.

*Pulſus qui in cunctis ferè morbis*

*index*

*index certiſſimus, in Lue peſtiferâ fallax admodùm, & dubius eſt.*

*Ægri in morbi initio, vel ſtatu, comatoſi ægrè evaſerunt.*

Iſtud à me rerum ordo exegit, ut *ſigna hæc prognoſtica* inſererem; conſultò plurima omiſi, cujus delicti gratiam faciat *judicandi difficultas*, & *diſcrimen*; *Luis* quippe tot, & tantæ erant preſtigiæ, tot captiones, ut ægri plures ipſo in portu naufragi forent; viz. cùm convaleſcendi ſpem velut in manibus haberemus, Subitò mors obrepſerit, & nonnullis de quibus actum, & conclamatum, redierit ſanitas, velut in Artis ludibrium.

# Sectio Septima.

## *De Peſtis nuperæ Curatione methodicâ.*

LUes *peſtifera* quoad exitum ſemper in bivio, & difficili verſari ſolet, cujus furore impenſiùs gliſcente, major utplurimùm pars *correptorum* deſiderata; utcunque ſpes non temerè abjicienda, in re licèt arduâ non funditùs deſperandum, perinde acſi generis humani *ob contagium* inſtiterit clades, & interitus; quin potiùs calamitatis anguſtia ſtimulum, & calcar addiderit, & vel ipſa morbi pernicies generoſos *Naturæ* miniſtros *medelam* comparandi ſtudio accenderit.

*Methodi Therapeuticæ* aditum, & veſtibulum ingreſſurus, paucis hortari *correptos* neceſſe habeo, qui imprimis ſubmonendi, ut *Numen* omnimodâ ſupplicatione venerentur, & *precûm* holocauſta

cauſta immolantes, ab Illo tot, tantiſque ſceleribus violato, auxilium ſupernè petant, nec non pari devotione implorent *Cœlum*, quò remediis dextrè præſcriptis faveat, & benedicat.

Dein *malo admodùm præcipiti* laborantes, ſi modò fuerint *ſui juris*, *mentiſque Compotes*, exorentur, ut *teſtamenta* actutùm perſcribi curent, & illa incunctantèr ſignent, nè forſan ob relictas *abſque hærede* ſarcinas, *rixæ*, & *lites hæreditariæ* de re familiari mortuorum demùm ſerantur.

Poſtremò, ab *ægrotis* impetrandum, ut exutâ morâ ſe *compoſitos*, *pacatos*, immò & *morigeros* tradant *erudito*, *experto* & *Cordato medico* in manus, & curam: hinc patet quam dura *medicorum* provincia, in *morbo extremo* ſanitati & *ægrorum* vitæ plurimùm periclitanti invigilantium; quàm illorum munus *periculorum* undique plenum, quibus cum *malorum Lernâ* ictu unico dimicandum, uti *aliis*, ita frequentèr *ipſiſmet* exitiosâ!

Verùm ut ope ſuâ *Ars Sacra* erigeret, & ſublevaret mortales *ægritudine ſummâ* circumvallatos, *Progeniem legitimam* perennare geſtiit, ſci. *ab Æſculapii filiis*

haùd in auſpicatiùs in *Peſtilentiæ*, quàm *affectuum reliquorum* Curatione, tanquam pro communi *reipublicæ* commodo ſudatum; pluribus tempero, indignus ſanè tot *Herôum* encomiaſtes.

Quoniam hâc ex parte *diſquitiones medicæ* tam *proſperæ* erant, uti olìm *aliqui* in exploratione *remedii Specifici* adverſus *peſtilentiam* multùm ſudoris impenderunt, operam, & oleum perdentes, utcunque de eò plurima mendacii manifeſtiſſima paſsim prædicarunt: ita *Ciniſlones noſtri ſuum* conſimilitèr εὕρημα, *ſuum* πανάκειον licèt perniciosiſſimum miris artificiis celebrabant, & id *credulæ* & *incautæ plebi* vænum tradebant: Certè *impoſtores*, & *gerrones hi* jure merito cenſendi *Peſtis publica*, quorum opinio à ratione omninò abhorret; nam argumentis utrinque libratis, facilè conſtat τὸ πᾶν *Luis peſtiferæ* abſolutorium nullatenùs in rerum naturâ dari, neque *myſterium tale* cuivis mortalium hactenùs innotuiſſe: quamobrem juxta *intentiones* in *peſte* paritèr, ac in *aliis morbis* ſeriò attendendas, *methodica*, & *rationalis* inſtituenda *Curatio*: Nobis quidem viam hanc Regiam

in-

ingreſſis multorum licèt cum ſtrage, viz. *morbi* indole initio non benè perſpectâ, & cognitâ (verbis abſit oſtentatio) pulcherrima ſtetit victoria.

Supereſt jam ut præmittam quid à *medicis* factitandum; quum itaque *mali genius* vix ullas concedit inducias, ruptâ protinùs morâ, quàm ocyſſimè; & impigrè languentibus ſuccurrendum; opitulandi nimirum *occaſioni matutinæ* immineat *medicus*, advoletque in *ægrorum* auxilium; nè forſan ob tardam nimis medicamentorum aliàs efficacium adminiſtrationem convaleſcendi ſpes pereat, & tam ſupinæ oſcitationis nulla deniceps indulgeatur expiatio.

Tum *accedens medicus* correptum bono eſſe animo jubeat, languentem voce, geſtuque exſuſcitet, ſtrenuè culpet *puſillanimitatem*, ex quâ tot ultrò ſe permittere ſolent in *miaſmatis peſtiferi* deditionem, vel hâc de causâ ſpem ſanitatis ſibimetipſis præſcindentes.

Ultimò, juxta *Collegii Celeberrimi* in Libro præfato *edictum*, in *magnorum*, & *Generoſorum remediorum* uſu, & adminiſtratione, res *ſummo conſilio, judicioque firmo* gerenda.

 Im-

Imprimis *Celebranda venæ Sectio necne* meritò ambigendum? *quam* reverà hìc pede ſicco tranſiiſſem, utpote *exitioſam*, niſi quidam, neſcio *Audaciæ* magis, an *Imperitiæ* pervicaces, non ſolummodò *parcâ manu* ſanguinem mitti curaſſent, ſed & *iteratis vicibus* copioſam ejus eductionem uſque ad *deliquium* nuper ſuaſiſſent.

Siquid *Veterûm* authoritas, ſiquid *Neotericorum* experientia valeat, ſi denique calculum noſtrum adjicere liceat, *Phlebotomia* in *verâ*, & *exquiſitâ peſte* ſemper ſuſpecta, nè (quod abundè comprobatum) unà cum cruore purpureo Anima effluat; tam ingens diſcrimen concomitari experti ſumus hanc evacuationem; proinde ſatis mirari nequeo quâ acti inſaniâ Hi *vitæ humanæ* proditores, *carnificinam* exercentes, deliramenta ſua alieno damno firmare audeant; utrum à calore intenſiſſimo *Phlebotomiæ* indicatio depromitur? an à *vaſorum* turgeſcentiâ? an ad *miaſmatis peſtiferi* fugam vulnus aperiendum, per quod exeat, evadat, erumpat venenum? profectò nil magis à vero alienum videtur; quandoquidem niſi unà cum *febre* remiſerint *Cætera Symptomata*, haud

haùd dubio in ſummum vitæ diſcrimen adducuntur ægri; quî enim *Sanguis* & *ſucci reliqui* depurentur, ſi *febrilis calor* re infectâ, immo labe veneficâ herente, & vigente diſcederet, & extingueretur; ut taceam venenum peſtilens *venâ ſectâ* ſe intùs recipere, & illìc defixum manere, quin & *diaphoreſis* apprimè *utilis*, & *ſalutaris* celebratâ hâc evacuatione inhibetur, *ſpiritibus* non tantùm *depauperatis*, & *perditis*, ſed contrarius hinc motus *ſeroſo latici* conciliatur.

In eodem porrò hærent luto argumentum à *vaſorum turgeſcentiâ* petentes; quid quòd dum in *maſſâ ſanguineâ* immanes nimiùm concitentur orgaſmi, particulæ *cruoris* diſcordes, & heterogeneæ in ipſo commotionis articulo ſeſe expandere adnitentes, ampliuſque exagitationi tantæ ſpatium quærentes in vaſis utcunque diſtentis *plenitudinem* duntaxàt ſimulare videantur; nam *venæ* velut *depletæ* ſubſidere aſſolent, expectatâ paulìſper *liquoris Coccinei* quiete, & pace: proh dementiam *temerariâ ſanguinis effuſione* vires incaſsùm proſternendi ob *ementitam* ſolummodò *plenitudinem*.

Non

Non ea demùm eſt *auræ veneficæ* indoles, ut *venæ apertæ* portam appetat, & ſimul cum cruore eliciatur, quæ (ſicuti ex memoratis liquet) in *ſpiritibus, vaſiſque aliis* hoſpitari geſtit, quàm in *genere venoſo*; hæc curatio *Lui* appropriata extra omnem dubii aleam conſtituet.

Quænam denique huic opinioni fides? cùm innumeris pateat experimentis *ſanguinem* plerumque in hoc morbo *cum impetu proſilientem* difficultèr ſiſti, & vulnus ægrè poſtmodùm coaleſcere: verum non is ſum qui inficior, *phlebotomiam* in febre malignâ, & peſtilentiali aliquandò locum habere, & re deploratâ ob *nimium menſium vel lochiorum fluxum* revulſionis gratiâ conſultò tentandam; ſummo tamen ſit piaculo illam in *Peſte verâ*, & *exquiſitâ* celebrare: Unicus tantùm (uti memini) omnium quotquot, ægrè evaſit, qui *dominante peſte nuperâ* ſanguinis detractionem ſubivit, at ſermonem fuſiorem ſuper hâc re admodum perſpicuâ abſtineo, ad cætera minùs controverſa tranſiturus.

Quod ad ſecundum notabile remedium attinet, viz. *Vomitionem*, crapulâ præ-

præcedente, in ventriculo ſaburrâ noxiorum humorum congeſtâ, urgente nauſeâ, ore etiam amaricante, conſentiente thoracis, & cervicis conformatione, in morbi infantiâ prodeſſe queant *emetica remedia*; inter quæ illa eminere videntur quæ Ventriculum abundè nimìs ſarcinatum *citra carthar ſin* ſubvertant.

Viz. *Syr. Diaſari Fernelii*, *Syr. ſcabioſæ Compoſ. Oxym. Scillit. Sal præſertim Victrioli*, &c. Antimonii preparationes non æquè arrident: *Medicamentorum emeticorum* Doſis augenda, ut extemplò depleatur *Stomachus*, item ſerum cereviſiale affatìm ingurgitandum, foliis cardui, ſcordii, ulmariæ, petaſitidis, &c. incoctis, quouſque ſordes quæcunque *Ventriculi Parietes* emplaſtrantes benè eluantur: Qui de meo conſilio poſſetum prædictum addito Oxymelite ſimplici, *nullo licèt emetico prævio*, affluentèr hausêre, levamen inde, & emolumentum illicò experiebantur.

Confecto *Vomitionis* Stadio, quò meliùs *Alexipharmaca Medicamenta* retineantur, *Ventriculi* tonus fatiſcens magnoperè firmandus *alexeteriis* admiſcendo *Stomachica*: Sin verò *vomitio* urgeat *Symtomatica*

*matica*, omninò exulant *remedia emetica*; nè medicus, (agyrtarum more qui theorematum medicinaliumignari,)Symptomata promoveat,quæ vires ob irrita conamina proſternere poſſent, & *mineram morbi* etiam aliunde in *ventriculum* alliciant, illamque inibì figant, unde mox *vomitionis* impetus immanitèr procelloſi, nullo quidem artificio compeſcendi.

Tametſi in aliis affectibus *vomitio vomitione* tollatur, in *peſte* tamen *à nauſeâ*, & *vomendi propenſitate* ſiniſtrè depromitur indicatio: ſiquidem *malignitas* vel *potiùs effluvia nitroſalina os ventriculi* vellicare, *nervoſam crumenam* licèt *vacuam* ſubvertere,& *motus* ciere *ſpaſmicos* ſolent: quorundam *Stomachi* videbantur cibo *graves*, perinde acſi vehes impuritatum illos gravitaſſent, hi *emetica* ultrò expetebant, quibus morem gerere omninò nefarium fuit; incuſſa quippe *infarctûs* ſuſpicio à veneficá labis peſtiferæ vi dependebat, ventriculo interìm ab *alimento*, & *humoribus noxiis* libero: cætera hìc deſiderata in Sectione de Symtomatum Curatione inſerentur.

Quinetiam *Purgatio* inter *remedia magna*

*za* haud perperàm annumeratur ſci. *ſolvenda alvus necne*, res quidem magis nodoſa, & inter medicos diſſentionis plenior: revera *Peſtium quarumcunque* varietas, *temperamentorum* diſſonantia, *morbi* complicationes variæ, *tempeſtatis* incertitudo, quò minùs regulas tradam hâc in re generales, quammaximè obſtant, quarum vice collectiones in praxi quotidianâ celebriores ſubſtituam.

*Humorum turgeſcentia*, ſive *cacochymia* gnis inſtar ſpeculatorii *proficuam* fore hanc *evacuationem* certò deſignavit, fæcum *quantitate* potiùs *gravante*, quàm *qualitate* illarum *irritante*: nimirùm cùm humorum *regimini*, *coctioni*, & *excretioni* minùs ſuffecerit Natura, juvari eam omninò neceſſe, ut illi per *alvum* opportunè exturbentur; precedente ſaltem *ingluvie*, ocyſſimè, & ſine nimiâ morâ *Catharſis* imperandâ.

Quod ſi ob ejus comperendinationem *labis peſtiferi* characteres in ſuccos altè fuerint impreſſi, humorum exterminandorum *depuratio*, potiùs quàm *evacuatio* tentanda videtur: profectò metuendum magis ſentinam movere, quàm ſeparationem

nem occultis Naturæ viribus abſolvi poſſe deſperandum; enimuerò ſive *ſanguinis ſolutio*, & *fuſio*, ſive (juxta nonnullos) *ejuſdem coagulatio* ſpectanda; certè hìnc, inde *medicamenta* proſcribenda videntur *cathartica*, quæ ſci. in causâ priori *cruorem* ulterius exagitant, funduntque, & *vaſa* reſerant labore improbo *claudenda*: *Remedia* etiam *cathartica* nocent in *ſanguinis coagulatione* exhibita, eò quod *colluviem* avocant ſolummodò, & evacuant *ſeroſam*, quâ modò *particulæ tenaciores* immerſæ, & dilutæ erant: hinc fit, ut quod priùs *ſtagnabat*, methodo hâc *incraſſatur*, altiùs *impactum*: præter invictam planè difficultatem *cruorem* fortefortunà *coagulatum*, & in vaſis *ſtagnantem* remediis quibuſcunque in ſtatum priſtinum reducendi, illum colliquandi, & fluxilem reddendi, aut *virus peſtilens* intimè implicitum eliminandi, malè metuendum nè minera *morbi* uſqueadeò exagitata *inteſtina* petat, *ſphacelationem* inferens.

In *purgatione* ut bono litetur eventui cautè admodùm *vires conſulendæ*, quibus proſtratis, aut deficientibus *hæc minùs tuta*, immò *exitioſa* cenſenda.

His

His adde *Catharſin* rem periculoſæ plenam aleæ, ſi alvus *medicamentis purgantibus* nimiùm concitaretur, unde ὑπερκαθάρσις, aut *ſuccorum colliquatio*; *miaſmata*, viz. *nitroſalina* e. g. ab hauſtâ potione *humores* acuente, & rarefaciente, *illos fundere*, & ad *inteſtina torrentis inſtar* deturbare apta nata ſunt.

In *Spirituum* inſuper *morbo* quis amabò *Catharſi* locus? certe mihi pluſquam veriſimile videtur, *ſuccos corporis* longè citiùs exhauriri poſſe, quàm *purgationis adminiſtratione* ſpiritus valde oppreſſos, caliginoſos, & propemodùm extinctos, denuò ſufflaminari, & in priſtinum reduci ſtatum, ac nitorem; cùm denique *venenum peſtilens* utpote *ſubtiliſſimum* ſuâpte naturâ *Corporis ſpiracula* potiùs petere affectet, quàm ſentinas *excrementorum craſſiorum* ſecretioni deſtinatas, prætèrea cùm *evacuatione inſtitutâ* motum adciſcat *ſuæ indoli* contrarium labis venefica ſcil. à *circumferentiâ* ad *centrum*, quid ſibi velint, me latet, qui iteratis vicibus exhibent *remedia cathartica*, undè frequentiſſimé *viſcerum tormina*, eorumque *Sphacelationes*.

Quòd ſi eò ferat animus, libratis utrin-

que

que argumentis *alvum exinanire*, in *morbi principio*, & *celeri* quidem *commotione* eam ducere oportet, cui uſui *medicamenta* in *formâ liquidâ* habentur magis opportuna *expeditam* celebrantia *mercaturam* Exemp. gr.

℞ *Aq. Angelicæ ſimpl. Tartarizatæ* ℥ ij. *Syr. de ſpinâ Cervinâ* ℥ j. *Elix. proprietatis Crollii vel Antipeſtilentialis* ℈ j. *& interdum* ʒ ſ. diſſolve *ſalis abſynthii gr.* viij. *M. S. Fiat hauſtus horâ commodâ, & typo remittende dandus: Pilularum Ruffi ſolutio, viz. ad* ʒ ſ. *vel* ʒ j. *plus, minuſve in aq. Calendulæ* quibuſdam magis arridet; quibus tamen *pilulæ magis* placent, ii *maſſâ* utantur *ſequenti*.

℞ Extract. Pilularum Ruffi ʒ ij, reſin zalapii ℈ j. trochiſc. de rhabarb. ʒ j. gum. ammoniaci in aceto ſcillit: ſoluti ʒ j. ſalis Tartari, abſynthii *ana* gr. viij. cum tinct. Theriacali q. ſ. fiat maſſa, è cujus ʒ j. conglobentur pilulæ vij, vel viij. Doſ. in conſtitutione athleticâ ad ℈ ij. prout medico viſum fuerit varianda.

In morbo *induciarum* omninò impatiente expedit ὀλίγως, & non βραδέως evacuare;

ita ut humores *priorum regionum* peccantes in *morbi ortu* actutùm exterminentur, priuſquam eos imprægnaverit *venenum peſtilens*, & labe illius ſerpente, in *univerſos ſuccos* dominio pleno potitum fuerit: certè πεπασμὸς hìc non expectandus, nullum habent locum *alterantia*, & *digerentia*: Ego autem *alvo ſuppreſſâ* ſatius duxi illum *glandibus* educere, quorum uſum purgationi inteſtinorum commodiorem, & tutiorem comperi.

Cæterùm *medelæ cardo* ex omnium quotquot *Authorum*, & *practicantium* placito,& conſenſu, in hoc præcipuè vertitur; nimirùm in citiſſimâ *veneni peſtilentialis* expulſione, quam mirè, & unicè præſtare valent *Alexipharmaca*: fæcibus itaque priùs ablegatis, ad hæc correpti, tanquam ad ſacrum Aſylum, confugiant.

Remediorum horum copia tanta ſuppetit, ut *Natura* in re nullâ ſolertiorem, ſollicitam magis, & indulgentiorem ſe præbuerit, quàm in præſidiorum adverſus *Luem peſtiferam* benevolâ largitione; neq;infælicior hâc ex parte *Ars medicinalis* in variis ſimplicium præparationibus, quibus opportunè admodùm tam gravi occurratur malo.

 Verum

Verumſeligenda ex hâc densâ *ſimplicium* ſylvâ; quæ virtute vegetiori pollent; is quippe juxta adagium Μορμολυκείοις ἐκφοβεῖ τὸν λέοντα qui *Luem peſtiferam*, quorumcunque morborum facilè principem, ſe poſſe crepundiis domare confidit, quæ ſæpenumerò *medicamenti ſegnitiem*, pariter ac *medici conatus ſupinos* ulciſci ſolet, tardi ſcil. eventûs expectatione tutelæ efficacis occaſio funditùs perit.

Inter *Simplicia* è triplici *Vegetabilium*, *Animalium*, & *Mineralium* regno petita, ſupereminent (ut à Vegetabilibus exordiar) *Radices Aſari Virginiani*, *ſive Septentariæ Virginianæ* modò recentes, & aromaticæ; crebrò reverà cœpit me admiratio in *radicibus tam exilibus*, velut *fibrillis reptatricibus*, dotes tam inſignes latere, *ſaporis* tamen *acris*, & *mordacis* acumen, *odorque* naſum feriens *egregiè aromaticus*, vim, & præſtantiam apertiſſimè indicant eximiam, & planè divinam; ita ut inter *diaphoretica*, & *Alexiteria*, neſciam quid in *miaſmatum peſtiferorum* expulſione efficacius fuerit, & generoſius.

Doſ. radicum in Alkool v. a. e. reductarum à gr. iiij. vel vj. ad ℈ ij. ex vehiculo idoneo,

idoneo, *ætatis* interìm, *temperamenti*, & *ſexûs* ratione habitâ.

Secundum jure merito locum merentur *Radices Contrayerva*, è quibus etiam *Lapis* oppidò celebris conficitur, cujus deſcriptionem paulò poſt tradam: Doſ. harum radicum ſubtiliſſimè pulveriz. à ℈ j ad ʒ j. ex aq. angelicæ, ſcordii, calendulæ, vel vino, &c.

Quin & *radices alias* ex uſu quotidiano ægris plurimùm profuiſſe experiebamur, è quibus pro re natâ variæ compoſitiones conflatæ erant, ut viz. quod ſingulæ non efficerent contortis viribus junctæ exequerentur; in hac claſſe collocentur *radices Angelicæ*, *Scorzoneræ*, *Petaſitidis*, *Imperatoriæ*, *Tormentillæ*, *Zedoarii*, *Allii*, *Helenii*, *Valerianæ*, *Ariſtolochiæ*, *Gentianæ*, *Dictamni*, *&* *reliquæ*, ſi quem varietas teneat, è libris aliorum eruendæ.

A me autem gratitudo exigit, ut pauca hìc de *Zinzibere* ſubnectam, cujus pulverem, atque condituram, multotiès cum fauſtis ægrorum rebus exhibuimus; nempe hunc ad provocandam diaphoreſin, atque illam ad vim *contagii peſtilentialis* præcavendam.

E radicibus præfatis, vel cum ſpir. Vini rectific. vel cum aceto radicali parari queant *Extracta*; *ſubtiliores* quidem, & *vegetiores particulæ* mole corporeâ, & inutili exutæ, ex omnium medicorum conſenſu evadunt magis *medicamentoſæ*.

*Vegetabilium folia* in praxi noſtrâ uſitatiſſima; nimirum *Scordii*, *Rutæ*, *Salviæ*, *Veronicæ*, *Dracunculi*, *Centaurii min.* *Scabioſæ*, *pimpinellæ*, *Calendulæ*, *Meliſſæ*, ê quibus expeditæ juxta rei anguſtiam variæ remediorum formulæ.

A*quæ* ex herbis prædictis *ſtillatitiæ* ſi modò *redolentes*, & *ſapidæ*, viz. (ſale volatili non ſpoliatæ) vehiculi vice, remediis magis energeticis optimè inſerviebant: quæ interìm *inſipidæ*, & *officinis ſolummodò ornamento ſunt*, nè tantillum emolumenti languentibus præſtitêre.

*Clyſſus herbarum memoratarum* aquis anteferendus videtur; hoc ſcil. artificio conficiendus viz. eliciatur magna quantitas *aquæ* ſeu *phlegmatis* ex herbâ viridi, & ſucculentâ, ex aliâ dictæ herbæ quantitate ſuccus exprimatur, per reſidentiam depurandus; dein ad mellaginem fiat exhalatio, cui phlegma affundendo cum

tan-

tantillo ſpir. vini extrahatur tinctura, quæ demùm per exhalationem lentam reducatur in extractum, item ex herbâ ſiccâ extrahe oleum, & è magmate ſ. a. ſalem.

℞ Extracti partes quatuor, h. e. ℥ iiij. ſalis ℥ ſs. ol. gutt. 50, Miſce v. a. e. ſimul, fermenteſcere ſinantur per menſis ſpacium, eouſque agitando, donec amicè omnia aſſocientur: *Valentia* quoque, vel *ſuccus* dicto modo inſpiſſatus, uti ſummarum eſt virium, ita vel tempeſtate hyemali ad uſum medicum decoctionum loco ex herbis exiccatis conſtantium, proſperè depromatur; qui tamen nervoſior evadit *Luis* Antagoniſta, ab additione ſalis Alkali menſtruo proprio ſ. a. ad plures vices imbuti: remedio nimirùm hoc *tonus ventriculi* corroboratur, *putredo* ablegatur, *effluvia nitro-ſalina* oppugnantur, ſaltem præcipitantur, *diaphoreſis* denique provocatur.

Baccæ inſuper quædam maximo in praxi uſui fuêre; viz. ſudorem egregiè movebat *pulvis baccarum hederæ* ad ℨj. ex aceti ſambucini partibus duabus, & vini albi parte tertiâ: idem quoque præſtabat *ſpiritus è baccis ſambuci elicitus*, peractâ

fermentatione, exhibeatur ad ℥ iij. vel iv. quin & *ſpiritui è baccis Juniperi* ad ℥ j. dato, uti & *ſpiritui è Juglandibus recentibus* cum ſpir. theriacali, *ſeminibus* denique ſcil. *cardui*, *citri*, *calendulæ*, &c. ſuæ conſtabant laudes, utpotè *ſudorem* potentiſſimè educentibus.

In Univerſo *Simplicium* medicamentorum cenſu vix aliquod (ut opinor) per aliquot majorum ſæcula medicamentum habitum celebrius, quàm *Lapis Bezoardicus Orientalis*, permagni ſanè æſtimii ad hodiernum uſque diem: Abſit ut petulanti contradicendi animo veritatem exploraturus, tot, & jam tantis experimentis munitus, efficaciam ejus hactenùs pulchrè creditam enervare nitar: ſed res ipſa palàm loquitur, illum *precii majoris* eſſe, quàm *virtutis*: profectò lapidem hunc in pollinem redactum crebrò exhibebam ad gr. 40, interdum ad 50, re nondum deploratâ; & obteſtor illum expectationem erectam fruſtrà omninò habuiſſe; mihi intereà haud conſtitit lapides hos artificiosè probanti, adulterinos fuiſſe, & factitios.

Quinetiam *pulvis Monocerotis* pridèm inter

inter *Antidota* ferè principatum obtinens nè hilum profuit, hujus à *Mercatore quodam* Doſes aliquot accepi, *eximiæ virtutis* periculum ut facerem; verùm qui *columbas pullos*, *feles*, & *canes* (uti Vir ingenioſus referebat) à *toxico arſenicali* pluries liberaſſet, *veneni* tamen *peſtilentialis* expugnationi minimè ſuffecit: ſi hodiè in controverſiâ non verſaretur, an tale Animal à quopiam integræ fidei viſum uſpiam, ſi ſtupendas inſuper concederem dotes, profectò tanti pretii remedium, *Magnatum* duntaxàt, & non *miſellorum* affectibus dicatum videretur: calamitate autem publicâ graſſante, Achivi ut plurimùm plectuntur, quibus ſublevandis ut plebeia à *medicis* excogitentur medicamenta oportet, in quorum catalogo, imprimis occurrunt *Trochiſci viperarum ſale proprio conditarum* ad ℈ iiij. ex *aq. Scordii compoſ.*, vel *ſal viperarum volatil.* ad ʒ ſs.

Ad nos miſit Trochiſcos ex *Angliâ Americanâ* Vir Digniſſimus, è carne anguis caudâ crepitante, noſtro idiomate Rattle-Snake confectos, à quibus commodi, & levaminis plus ægris, quàm à noſtris domeſticis obtigit.

*Bufonum pulvis* in omnium ore palmaris, bubonibus etiam cum Nitro calcinatis, tot, & tantis encomiis neutiquam par fuit: auſpicatiùs quidem, & ex voto ceſſit *Spir. Cornu Cervi* ad ℈ ij. vel ʒ j. ex aq. epidemicâ.

*Juvenem* ſumma ſpirandi difficultas tenebat, arteriæ vibratio ceſſare videbatur, omnia demùm ultimum languentis ſpiritum in labris ſupremis hærere enunciarunt, huic exhibui *ſpiritûs præfati* ʒ j. ex aq. Scordii compoſ. ℥ iij. morbo pertinaciter hærente, poſt trihorium iteravi potionem, addendo Spiritûs ℈ j. & admota erant quinque Veſicatoria, ſemihorâ vix elapsâ calor viguit, artus movere cœpit, & ſensìm ſe recollegit, ab orco revocatus: tandem cùm exitus in facili, en ab ulcerum in ſuris internis à veſicantibus excitatorum decoloratione, nec non ſensûs abolitione ſphacelationem propè imminentem! partibus tamen affectis profundè inciſis, ſcarificatis, & v. a. e. embrochatis, hauſto etiam bis de die remedio memorato, res iterùm (cœlo adſpirante) in integro: viz. Spiritus hic prout flammifer, actutùm ſe per univerſum corpus diffun-

dere

dere potens eſt, ratione volatilitatis ſalinæ qualitatem peſtis Salino-malignam corrigendi vim habet: nè plura dicam Spir. C. C. eſt *egregium diaphoreticum* in quaſcunque morbi quantumvis efferi tentationes.

Quotieſcunque res in anguſtum adducta, ad *mineralia* confugiendum, quæ vi, & armis *hoſtem peſtilentialem* foràs projicere perhibentur, inter quæ agmen ducunt *Bezoarticum Minerale, Sulphur Auratum,* atque *Aurum vitæ*, &c. præparationes ex aliorum chartis depromantur.

Vereor ſanè, nè nimius fuerim, in remediorum hujus ordinis enumeratione: quanquam non me latet *monomachiam* h. e. ſimplicium diſcretorum certamen ſingulare poſſe *Luem*, utique & *alios morbos* edomare; ita ut unum (virtute ejus cognitâ) ſit par bello: quoniam tamen *huic malo* tot accedere ſolent *complicationes*, machinationes quoque ejus admodùm ſunt verſipelles; quidni ad pugnam *acies inſtruenda*, auxiliumque confœderatorum maturè implorandum, ut denſatâ acie contra vim, conjurationem, & morbi gravitatem marte proſpero contendatur. In quem

quem uſum *multiplices* varii generis ab Æſculapii filiis *inventæ compoſitiones*; quædam prolixiores, perinde acſi in Hecatomben ad pacandam Luis ſævitiam univerſa propemodùm medicina immolaretur.

Abs re noſtrâ omninò foret medicamenta quidem innumera, ex aliorum libris decerpenda, hìc proponere; mihi ſolummodò hoc penſi incumbit; nempe ea commemorare,quibus nos potiſſimùm utebamur, quæque ſimul fortunavit experientia: cœptum hoc aggreſſurum *gratitudo*, & *officium* jubent, ut à *præſcriptis in Libro Collegii celeberrimi propalatis* exordiar, inter quæ occurrit *Aqua Epidemica*, jam officinalis.

℞. Radic, tormentillæ, angelicæ, pœoniæ, zedoariæ, glycirrhizæ, helenii ana ℥ ſs. fol. Salviæ, Chelidoniæ, rutæ, ſummitat: roriſmarini, abſynthii, roris ſolis, artemiſiæ, pimpinellæ, dracunculi, ſcabioſæ, agrimoniæ, meliſſæ, cardui, betonicæ, centaurii min. fol. & flor. calendulæ ana M j. (alii addunt flor. papaveris errat: paralyſ. ana p iij.) inciſa, & contuſa infundantur per triduum in lib. viij.

iij. vin. alb. opt. dein F. cauta diſtillatio
: liquor uſui reſervetur: Hoc tamen
bitèr animadvertere liceat viz. *in Peſtis,*
*uratione* non ad *pompam* è numeroſâ
mplicium congerie, quàm in *correpto-*
*um ſanitatem* concinnandas eſſe remedio-
um formulas. N.B. dicta aqua nequaquàm
mnibus indiſtinctè propinetur, conſimi-
ter nec aliæ ejuſdem indolis, viz. *purga-*
*ione lunari inſtante*, nè forſan menſes
nmodicè fluant, neque *fœminis* exhibe-
tur *in utero habentibus* abortum proritans.

Præterea *Liber Collegii* ſuprà *laudatus*,
ti *præſidiis officinalibus*, ita *aliis morbo*
*ppropriatis* erat refertiſſimus, è penu
cupleti paucula exhauriam.

℞. Diaſcordii, vel Mithridatii ʒ j. vel
ſs. fiat diſſolutio in lib. ſs. poſſetalæ
lteratæ cum partibus æq. vini albi,& ace-
i opt. Miſce detur hæc potio fervefacta,
gro ſtragulis benè cooperto.

Vel ℞ radic. Angelicæ ℥ ij. tormentillæ
j infuſis, & decoctis in aq. font. q. ſ.ad
ertiæ p.conſumptionem, adde ſucci limo-
um ℥ iij. vel aceti ℥ j ſs. bibat correptus ℥
ij. vel viij. hujus apozematis calfacti: Vel

℞. Sem. pætaſitidis ℈ j. ſem. citri gr.
xxvj.

xxvj. cuchianellæ ℈ ſs. caphuræ gr. xij. miſce, fiat pulvis, ex hauſtu aq. cardui, calendulæ, vel ſcordii ſumendus.

Vel ℞ expreſſionem ſtercoris vaccini recentis in aceto acerrimo infuſi ad cochl. vij. vel viij.

Vel ℞. Theriacæ Androm. ℈ ij. Elect. de ovo vulg. ℥ ſs. factâ diſſolutione in hauſtu poſſetalæ carduatæ, fiat potio; bibatur calefacta expectando ſudoris exundationem.

De medicamentis reliquis *in dicto Libello* promulgatis, in pauperûm uſum concinnatis, alibì verba faciam, ad ea jam tranſiturus, quorum vis, & efficacia ex uſu quotidiano eximiè eluxit, atque in primâ acie comparet.

## *Decoctum Antipeſtilentiale Compoſitum.*

℞. Radic. Scorzoneræ, petaſitidis ana ℥ v. angelicæ, tormentillæ C.C.C. ana ℥ j fol. Scordii, ulmariæ, meliſſæ ana M j flor. calendulæ, borrag. ana M ſs. bacc juniperi, hederæ ana ℥ j. ſem. citri ʒ ij. coriandri præp. ʒ j. ſs. caricas numero iij. inciſa & præp. in duabus p. aqu. font. & tertiâ

P

. aceti opt. infundantur,& decoquantur, ub finem addendo glycyr. taleolatìm ſe-tæ ℥ j. in expreſſionis ℔ iij. diſſolve ıeriacæ Androm· ℥ iij. nitri puriſſimi iij. & adms interdum Spir. Vitrioli, vel ulph. guttas aliquot ad leviuſculam aci-itatem; & nonnunquam ſyrupum è ſucco itri, limonum, vel meliſſophylli immerſi-ıus:verumenimverò cùm in ſummo rerum iſcrimine , *periclitanti vitæ* potiùs, quàm *ıſtui* conſulendum,*ſacchar ata* pluries omiſ-, ſcil. vires remediorum tum *obtundentia*, ım *gulæ* magis, quàm *ventriculo peſtiferè* *fecto* accommodata, Doſ. ad cochl. viij. el x. ſextâ quâque horâ ad quatuor vices.

## *Aqua Alexiteria.*

℞. Radic. Contrayerva ℥ j. ſcorzoneræ iſpan. , angelicæ ana ℥ j. ſs. fol. Scordii alegæ ana M iij. fl. roſ. rubr. calendulæ na p. iij. raſ. C. C. eboris ana ℥ j. bacc. niperi, hederæ ana ℥ ij. in aceto ſam-acino per triduum macerat : dictamni retici , cortic. limonum ana ℥ j. ſucc. eliſſæ, cardui, angelicæ ana ℔ ſs. aceti pt. ℔ ij. diſtilla in organis humilioribus oſt. deb. infuſionem.

*Vel,*

*Vel,*

℞. Succ. Scordii, acetoſæ ana ℔ j. galegæ ℔ ſs. ſucc. limonum, aceti opt. ana ℔ j. theriac. Androm. ℥ iij. digere & diſtilla Doſ. ad cochl. vj. vel viij.

*Vel,*

℞. Aquæ Alexiteriæ ℔ ij. theriac. Androm. ℥ iij. Elect. de ovo ℥ j. digere, filtra, & uſui ſerva, Doſ. ad cochl. vj. vel viij. phialam agitando.

*Vel,*

℞. Summit. abſynthii, rutæ ana M j. Scordii, dracunculi ana M iij. aceti ſambuc. ℔ iij., diſtilla in veſicâ, tum in liquore diſſolve ſalis fraxini, cardui, vel Scordii Vitriolat. ʒ iij. Doſ. ad cochl. iv. vel v. efficacitèr elicit ſudorem hæc Aqua.

## *Spiritus Theriacalis.*

℞. Radic. Aſari Virgin. ℥ ſs. contrayerva ℥ j. tormentillæ, ſcorzon. petaſitidis ana ℥ j. p. ſem. cardui, calendulæ, angelicæ, citri ana ʒ iij. quibus præp. affunde ſpir. vini, aceti opt. ana ℔ ſs. diſſolve theriac. Ven. ℔ ſs. adde croci Ang ʒ ij. miſc. indantur organis vitreis, & poſt octiduanam ſuper cineres digeſtionem

nem, diſtilla, in roſtro Alembici ſuſpendendo caphuræ. ʒ iij. Doſ. ad cochl. v. vel vj.

## *Oleum Diaphoreticum.*

℞. Salis Abſynthii, vel Scordii, ſive Rutæ ℥ ij. flor. Sulphuris ter, quaterve ſublimat.℥ j. ol. Juniperi ℔ j. invicèm miſc., per biduum calore mediocri benè occluſa relinque, dein per Retortam diſtilla, etiam alterâ vice diſtilla, digerendo per biduum, addendo ſalis abſynthii ℥ j. Doſ. ad cochl. unum, vel duo, ex aq. angelicæ, vel ſcordii, ſaccharatâ, ad olei v. a. e. Commixtionem.

## *Acetum Antipeſtilentiale.*

℞. Radic. Scorzon. Hiſpan. Chelidoniæ mai. ana ℥ ij. contrayerva ℥ j. angelicæ, tormentillæ ana ℥ j. p. fol. ſcordii, meliſſæ, ſcabioſæ ana M ij. ſummit. Rutæ p. ij. dictamni cret. M ſs. flor. ſambuci, calendulæ ana p. iij. gr. Junip. ℥ ij. raſ. C. C. eboris ana ℥ j. ſem. rutæ, cardui, citri ana ʒ ij. portulacæ ʒ v. cinam. opt. ℥ ſs. caryophyll. ʒ iij. Theriac. Androm. ℔ ſs. quibus ſ. a. præp. affunde Aceti ex

vin.

vin. albo acerrimi ℔ v. vitro opt. obturato digere per triduum, bis, terve de die conquaſſando, tum cautè diſtilla, ſuſpenſis camphoræ, & croci ana ʒ ij. in roſtro Alemb. Doſ. ad cochl. v. vel vj.

At de his abundè ſatis, cuipiam hinc pronum ſit colligere, cur *medicamenta liquida, modò fervefacta*, aliis in *formâ boli* vel *Electuarii* aſſumptis anteferenda, ob *promptiſſimam* ſcil., & *expeditam energiam*, & *operationem*.

Cæterùm quia *correpti* plerumque erant *nauſeabundi*, & ad *vomitionem proclives*, ſicutì & potabilium quantitas ventriculum ſarcinando, ejus ſubverſionem irritare conſvevit; remedia ſolidæ formæ locum habent, & hâc ex parte potiora videntur, vomitu nimirum ægrè excutienda, utpote adhærentia ventriculi parietibus, velut iis agglutinata: hujus generis præ manibus ſit maſſa ſequens, unde ex tempore boli conficiantur.

℞. Elect. de ovo mineralis ℥ j. theriac. Androm. ℥ ſs. pulu: ſerpentariæ virgin. ʒ v. cuchianellæ ʒ iij. croci pulveriz. ʒ ſs. cum Syr. è ſucco meliſſophyll., vel citri, coagmentetur maſſa, Doſ. ad ʒ ij. addendo

ſali

ſalis cardui, abſynthii, vel ſcordii ℈ j. plus, minuſve pro ſymptomatum vehementiâ.

## *Cl. & toto Terrarum Orbe Celeberr.* Theodori de Mayerne *præparatio Elect. de Ovo Mineralis.*

℞. Ovum vulgaritèr ut in Pharmacopœia *Londinenſi* præp. de quo ſume, & ſem. ſinapios, vel erucæ ana ℥ j. Antidoti Saxonicæ ℥ ſs. lapidis prunellæ ʒ v. Antimonii diaphoret. fixiſſimi, & croci metallorum ſimul uſtorum ʒ iij. pulv. ſcordii, rutæ, zedoariæ ana ʒ ij. ſs. Theriacæ ven. veteris ℥ iv. Philonii Turneri ℈ vij. gr. ij. miſce, & cum ſpir. Theriac. ʒ iij. & mellis deſpumati q. ſ. Fiat Elect. molle, Doſ. ad ℈ iv. vel ʒ ij. corroborand. adjiciendo corda, & jecinora vj. viperarum v. a. e. præp. N. B. in hâc ſimilitèr, ut & in cæteris Antidotis, diuturna fermentatio perquàm neceſſaria, ut ſe invicèm penetrent, & intimiùs aſſocientur tot ſimplicia.

Sin verò alvus fuerit nimis cita, & lubrica, commodiſſimè exhibebeatur

Lapis Contrayerva, qui ſic conficiendus.

℞. Pulv. radic. contrayerva rec. ℥ j. ſerpentariæ virgin. ʒ ij. ſs. extract. radic. Angelicæ, tormentillæ ana ʒ ij. pulv. C C. philoſophicè calcin. chelarum Cancrorum præp. pulv. Corall. rubr. ana ʒ j. ſs. Antimonii Diaphoret. vel potius Diaphor. Jovis ʒ iij. cuchianellæ ʒ ſs. croci ℈ j. (aliqui addunt lapid. bezoar. orien; ℈ ij.) ambræ gryſ. ℈ ſs. cum gelatinâ ſpoliorum ſerpentum, vel C. C. fingantur globuli ſ. a. exiccandi, Doſ. ad ℈ ij. vel ʒ j. è vehiculo idoneo, &c.

*Hùc inſuper ſpectat* Orvietano, *cujus confectio hæc.*

℞. Cardui bened. totius eupatorii mai. & min. ana ℥ ſs. ſcordii, ariſtolochiæ utriuſque ana ʒ v. viperinæ, h. e. echii, gentianæ, bacc. Junip. biſtortæ ana ℥ j. bacc. lauri, tormentillæ, dictamni albi ana ℥ ſs. carlinæ, angelicæ ana ℥ j. ſs. rhabarb. imperatoriæ, ſcorzon. hiſpan. valerianæ ana ℥ ſs. morſus diaboli, calami aromat. ana ℥ iv. Theriac. Androm. opt. ℥ iij. corda,

da, & jecinora 12 viperarum, terantur terenda ſubtiliſſimè, & cum ſ. q. mellis deſpumati fiat Elect. per tres menſes fermentand. Doſ. ad ℨ ij.

N. B. Hæc & conſimilia *medicamenta*, ſive *Galenica*, ſive *Spagyrica* quorum *præparatio*, & *Digeſtio* non citiùs, quàm coquantur Aſparagi, abſolvi queant, ut ſint *in promptu*, & *præ manibus*, expedit; ille enim τὰς μηχανὰς μετὰ τὸν πόλεμον κομίζει, qui in *morbum peracutiſſimum* arma parat, haud ante ſpatium ſemeſtre acuenda.

Traditâ jam curatione generali, exacta regiminis norma, & Diætæ leges deſcribendæ veniunt: *Correpti*, ubicunque loci illos invaſit *Lues peſtifera*, ocyſſimè lectis committebantur; quos corpore nudato ſtragulis cooperire longè commodiùs, & magis beneficium experiebamur, quàm eos linteis implicare, eò quod omnes hoc modo lanati, ſudoris profluvium alacriùs, & tutiùs ſubiêre, tum epoto à lodice lanari fluxu, tum corpore velut ſudariis abſterſo; è contra autem *tormentaria* ſicuti ſudoris copiam minimè excipiendo erant, ita præ madore nimio paulò diutiùs tepentia, corporis ſpiracula tunc

O 2 hiantia,

hiantia, velut *frigidi appulſu* firmitèr conſueverunt occludere, & obſerare; idcircò cunctis taliter ſudantibus *linteamenta*, & *induſia* mutare vetitum, neque minus detrimentum à *mundis indumentis*, non (prout Cl. *Diemmerbrochii* ſententia fert) à *ſaponis qualitate inimicâ*, quàm ab *udore*, *mundarum veſtium comite inſeparabili*, & à *frigidâ aeris ſalutatione* nullo modo vitandâ, unde *prohibita Diaphoreſis*.

Niſi res ægri *potionem emeticam*, *purgationem*, vel *enema* præmitti exegit, illi mox ab introitu lecti *medicamenta* exhibebantur *Alexipharmaca*, quæ vomitu licèt rejecta, ad tot vices iterabantur, quouſque ſtomachus aliquantulùm corroboratus, ea retineret, & amplecteretur; nempe ubiprimùm ſudor copioſus emanavit, illicò nauſeam evaneſcere animadverti.

Quidam, vel ob temperamentum ſanè ſicciſſimum, vel ob ſummum incendii febrilis æſtum ſuccos valdè deprædantem, & corpus extorrentem, ægrè ſudarunt, his ſerum cereviſiale medicatum affatìm haurire indulſi, tum ut hoc pacto fluxiles redderentur humores lenti, tum quoque ut

ut calor exæſtuans aliquantulùm contemperari,& reſtingui poſſet.

Lac è quo ſerum cereviſiale conficiebatur, alteratum erat cum duabus part. cereviſiæ non lupulatæ, & tertiâ p. aceti opt. radic. Scorzoneræ, petaſitid. fol. meliſſæ, ſcabioſæ, lujulæ, flor. borrag. calendulæ raſ. C. C. eboris, ſem. cardui, & coriand. præp. incoctis.

*Correptus* ſingulis vicibus ad 2. 3. *pluresve horas* ſudorem ſuſtinuit, libratis viribus: *Diaphoreſin* eouſque provocavimus, dum *fuligines veneficæ*, primò *rarefactæ*, & *ſubtiliatæ*,ſimul cum *materiâ tenaci* diſcuterentur: *Somnus* interim procul arcebatur, quantumvìs *laſſitudo* ægrum quodammodò ingratiis dormire coegerit.

Studio inſuper conſimili non minùs *ſudoris*, quam *typorum qualiumcunque* ſpiramentis ad vires multùm proſtratas, & propè deficientes refocillandas (modò non impedierat faſtidium) idonea adminiſtrari alimenta juſſi viz. panem vino ferè inebriatum,ova ſorbilia(niſi ſtomacho aliena erant)ſucco citri,granatorum,vel aceto ſambucino immerſa, item aquas Analepticas, juſcula, gelatinas, atque etiam vina generoſa.

*Juſculi præparatio*, viz. è pulli gallinacei brodio, incoctis radic. Scorzoneræ, fol. pimpinellæ, ulmariæ, lujulæ, ſummit. borrag. raſ. C. C. Dactylis, cum fruſtulo panis alb. & tantillo croci in nodulo; pinguedo non ſeparanda, niſi diarrhœâ urgente, vel nauſeante ſtomacho: de Auri incoctione non jam vacat diſceptare; è dicto juſculo quandoque emulſio parabatur, viz. cum ſem. citri, plantag. & amydg. excorticatis addendo ſacchari perlati q. ſ.

## *Aqua de Cordibus Cl.* Mayerni *priùs laudati.*

℞. Radic. carlinæ ℥ vj. zedoariæ, ſcorzoneræ, imperatoriæ, gentianæ, vincetox. valerianæ, tormentillæ, biſtortæ, petaſitid. dictamni. bardanæ. pimpinellæ totius ana ℥ iv. fol. cardui. oxytriphyll. ſcordii, ana M v. ulmariæ, ſcabioſæ, morſus diaboli, meliſſæ, pentaphyll. menthæ, rutæ, bugloſſæ, flor. calendulæ, hyperici ana M iv. limones, & Aurant. cum corticibus ana numero xx. flor. ſalviæ, roriſm. ana M ij. corda vervecina numero vj. corda viper. numero xx. vini generoſi *Hiſpan.* ℔ xx. infuſione deb, peractâ, fiat Diſtillatio cauta

cauta in B. M. hujus Aq. Doſ. ad cochl. iv. vel v. dulcor. (ſi ita viſum) cum ſacchari perl. q. ſ.

Cæterùm tamdiû ægri ſe *cibo* abſtinebant, uſque dum aliquale à *remediis Alexipharm:* levamen perſenſiſſent; *alimenti* quoque tantum ſolummodò aſſumere ſolebant, quantum *vigoris fatiſcentis* redintegrationi ſuffecerit: ſcil. inſtaurandæ erant vires, neutiquàm ingluvie opprimendæ: Convaleſcentibus tamen ad *diætam pleniorem* tranſire conceſſum: verùm horulâ unâ, aut alterâ à *cibatu* elapsâ, quanquam cuncta *Luis ſymptomata* miteſcere, recedere, immò & extinctum iri viderentur; eò quòd hoſti tam ſubdolo nullatenùs fidendum, inſidias ſæpe perniosiſſimas, ſimulatâ fugâ, diſponenti, *medicamenta Alexipharmaca* ad tot vices iterabam, donec vel ipſa malignitatis ſuſpicio evanuerit.

Languentes per integrum morbi curriculum lectis erant affixi; quotquot ſanè hâc in re contumaces, & immorigeri, pœnas luebant graviſſimas præmaturæ, & temerariæ ſurrectionis, diaphoreſi inhibitâ, & veneno incarcerato, unde tormina, & dira pathemata.

*Lue peſtiferâ* dementati nè lectum exirent faſciis injectis coercebantur, ne forent *ipſiſmet*, vel *adminiſtrantibus* injurii, quæ vincula non priùs ſoluta, quam ad ſe redierint phrenetici, & abſceſſerit ægritudo.

*Somnolentia* plerumque à primo decubitu, & ſudoris eruptione obrepens, procul arcebatur; quæ tamen, ſpe triumphi incaleſcente, ad *vires refocillandas* quadantenùs indulta, non ultra quatuor horas protrahenda: quòd ſi altiùs, ſi diutiùs dormitum, excitatis demùm ægris, ad Antidotorum uſum me recepi.

Alvo ex toto ſuppreſsâ, paroxiſmo etiam occidente, *enema* perquàm commodè injiciebatur, è Decocto radic. Scorzon. tormentillæ, & althææ, fol. Scordii, ulmariæ, violarum, flor. chamæmeli, & ſambuci, ſem. fænic. dulcis, aniſi, diſſolvendo vitellum ovi, ſaccharum rubr. Diaſcordii, vel theriacæ *Londin.* ℥ iij. & quandóque ad irritandam feſtinantiùs *alvi* ſegnitiem addendo infuſ. croci metallorum ℥ j. vel ℥ j. ſs. Reddito enemate, vel vinum generoſum hauſit ægrotus, vel cochl. aliquot Jul. cardiaci, vel Juſculum, &c.

Quando-

Quandoquidem *Spirituum languor* (quod ſuprà dictum) *Luis tum propagationi*, tum ejus *inſolentiæ*, plurimùm contulit; ut commodum huic malo adaptaretur remedium, *odores gratiſſimi*, quibus *cerebrum* confortaretur, & reficerentur *vires*, naribus aſſiduò admoti erant, nunc ex aceto roſaceo in prunas candentes effuſo, nunc è pulvere ſtyracis labdani, &c. accenſo; de quâ re paulò poſt, omnibus cautè vitatis odoribus *cerebrum impetentibus*, utpote *illi* antipatheticè adverſis.

Hactenùs ſuccinctè egimus de Antidotis, & languentium noſtrûm regimine; ad præſidia jam externa deſcendo, inter quæ eminent φυσιγγια, ſive veſicantia; Horum frequens, & proſpera applicatio, de eorum uſu controverſias variè agitatas diremit.

Veſicantia partibus variis admovebantur, viz. vertebris colli, brachiis verſus humerum, cruribus, & ſuris internis; *vaſa* cujuſcunque generis *calfacientia*, *liquores reddentia magè obſequaces*, & *fluxiles*, *naturæ ſegnitiem extimulantia*, & *unà cum ſeroſâ colluvie*, *noxiiſque humoribus per*

*ulcerum*

*ulcerum portas ſat amplas miaſmata peſtifera vi quidem inexpugnabili educentia*, ut hìc taceam *à partibus nobilioribus revulſionem* inſigniter præſtitam, atque *derivationem à vicinis*.

Nutrix quædam incauta, quum cruri, paulò infra bubonem inguinalem, admovere teneretur ex meo conſilio emplaſtrum epiſpaſticum, illud tumori ſuperimpoſuit; quod experimentum primò fortuitum, poſteà in praxi ſat proſperè obtinuit; quo viz. pacto humor fugitivus erat detentus, & ſuppuratio in melius ſucceſſit: hoc licèt nonnullis proficuum, & ſalutare, à *medicis* tamen, *chirurgiſque cautioribus* fuit ſuſpectum, *inflammatione* utplurimùm partes circumquáque adjacentes *vexante*, inde etiam nonnunquam *Sphincteris veſicæ* læſione, & impotentiâ, *virium* quoque oppreſſione ob *ſummum dolorem* obvenientibus.

Ut celeritèr, ut certò remedia veſicantia excitent veſicas, ſint acerima omninò expedit: Maſſa ſequens in Praxi noſtrâ fuit admodùm familiaris, & efficax.

℞. Picis navalis ℥ v. galbani colat. ℥ j. ceræ ℥ j. ſs. quibus ſimul liquatis, & ab igne

ne ſemotis, adde pulv. cantharidum
ræp. ʒ vij. vel ℥ j. fermenti veteris, ſem.
neos ana ℈ iij. euphorbii ʒ j. cum aceti
illit. q. ſ. incorporentur, aſſiduè agi-
ndo, quoùſque cogantur in Emplaſtri
aſſam: eventus ab hujus Emplaſtri ap-
icatione ſemper ex ſententiâ ceſſit;
arte cui admovendum erat hoc Em-
laſtrum aceto ad ruborem priùs fotâ,
uò potentiùs ſe exereret vis ulcerato-
a.

Ulcera excitata non citiùs claudi, &
lideſcere permittantur, quàm penitus
xtincta ſit morbi malignitas; quam-
brem ut exiccatio inhibeatur præpro-
era, emplaſtro è meliloto pulvere can-
harid. inſperſo loca iterùm, atque iterùm
ucianda; unde novus *colluviei ichoroſæ*
uxus: *inflammationibus* interìm *dolori-*
*cis* opportunè ſuccurrendum, foliis braſ-
cæ ulceribus ſuperimpoſitis.

Tametſi *emplaſtra epiſpaſtica* tot cor-
eptis proſint, & ingentem ab eorum uſu
ruciatum abundè ſatis compenſent mira
molumenta, & levamina; non tamen
mnibus indiſcriminatìm admoveantur,
utà ubi urget *urinæ ardor*, ejuſve *incon-*
*tinentia*,

*tinentia*, ubi adeſt *ſphincteris veſicæ inflammatio*, vel *ulceratio*, ubi *hæmorrhagia*, ſi *mulier in utero habeat*, vel ſi inſtet *fluxus menſtrualis*; poſtremò *veſicantia* non applicanda in *ſummâ virium exolutione*. Hoc inſuper memorabile, ſcil. *bubonibus*, vel *carbunculis* ad ſuppurationem vergentibus, ſummâ cum cautelâ *veſicantia* eſſe adminiſtranda, nè forſan *avocatione*, *deprædatione*, vel *nimiâ liquoris colliquatione & tantùm non fuſione*, è quo *pus* confici ſolet, cætera medendi conamina, & naturæ ſtudia ſe liberandi in irritum cadant.

Præter *remedia Veſicantia*, haùd perditi operis erit *emplaſtra* applicare *ſubpedanea*, ego uſus ſum *empl. ſequenti*, quod conſtabat è maſsâ empl. de beton. comp. adjecto frequentèr duplo euphorbii, pulvere croci, & Theriacâ *Londin. empl.* *hoc* plus commodi ægris præſtitet, quàm *cataplaſmata*, quæ tamen nonnullis magis placuêre, & conflata erant è radic. bryoniæ aceto ſambucino macerat., carne halecum, ſale marino, ſapone nigro, fol. rutæ, ſcordii, ari, cum ſ. q. aceti acerrimi: interdum plantis pedum admovebantu.

novebantur columbæ per medium ſectæ.

Verum hæc, & reliqua ejuſdem ordinis remedia non eo conſilio applicabantur, quaſi virtute attractivâ *ſeminarium peſtilens* allicerent, quin potius *benefica* apud ſaniores habita erant, eò quod in plantis pedum, ubi eximia vaſorum omnifariorum conglomeratio, calore *partes* fovere valent *extremas*, *liquores* reddunt *magis fluxiles*, & *fermentabiles*, *calorem nativum* ferè *morientem* & *extinctum* exuſcitant; atque hinc corpus univerſum ob conſenſum amiciſſimum vivificis delibutum influentiis: *Epicarpia* etiam iiſdem de cauſis non omittenda.

Curatione *Peſtis* generali ſummatìm abſolutâ, *ſymptomatum magis peculiarium* medela venit tractanda, ubi imprimis de *Bubonibus*.

*Medentium* quorumcunque, tum *medicorum*, tum *chirurgorum* haùd parùm intereſt, horum tumorum *naturam*, *variaſque conditiones* in numerato habere; ut præſenti eorum *fronte*, & *ſtatû* cognito, pro rerum occaſione idoneæ parentur applicationes. Explorandum imprimis, an *Bubo mobilis*, vel *ſtabilis*? an *durus*, vel

vel *mollis*, & *tactui cedens*? an *depreſſus*, vel in *mucronem elevatus*? an *parvus*, *magnuſve*? an *contractus*, vel *patulus*, latiúſque ſerpens? an cum *cruciatu*, & *punctione*, vel *indolens*? an denique cum *inflammatione*, vel *ſine illâ*.

Quotieſcunque *incertus* & *vagus* eſt *Bubo*, ita ut viciſsim *emergat* & *diſpareat*, πυρμεῖα hìnc illìnc moliri convenit, quæ *tumorem fugitivum* evocare, *prodeuntem* determinare, & figere poſſent: hoc egregiè præſtat *cucurbitularum* applicatio, unde *partium adenoſarum*, propter tumorem à flammâ excitatum, *permanens turgeſcentia*; *conſtrictione* etiam *vaſculorum*, tanquam obice poſito, *liquorum ſuppurandorum* tranſitum impediente.

Nos *Bubonibus* in ovo, & vix formatis remedia adhibuimus *diſcutientia* ſatis valida, quibus *tumor inſtabilis* terga daret, & diſſiparetur; & licèt ad plures vices ſuccreſcendi inſtiterit propenſitas, hoſtem fugare non protinùs deſperatum: hoc autem pro comperto habuimus, ſcil. ut qui *veneni peſtilentialis* fluxum, refluxumque pluriès patiebantur, ii non tam *incorruptâ* poſtmodùm erant *ſanitate* ac

ægri

ægri quorum *bubones ſuppurati* & *aperti*, pus copioſum excernentes.

Si *tumor durus*, & *dolorificus*, eò quòd *partes adenoſæ* aliquantulùm *laxandæ*, ut *amplum ſatis* extruatur humoribus undique confluentibus *hoſpitium*, partium affectarum inſtituatur *illinitio crebra* ex ol. liliorum alb. roſarum, ſambuci, &c. ſi modò *inflammatio* oleorum uſum non diſſuadeat, quâ autem præſente, *Unguenta Oleaginoſa*, & *pinguia* valdè ſuſpecta, utpote *poros conſtipantia*, & indoli *Luis nitro-ſalinæ* adverſiſſima: *inflammatione* igitur partem aliquam *occupante*, quod collectu facillimum ab *ejus calore* & *colore*, præſtat mucilaginem è ſem. lini, & fænugræci cum aceto ſambucino, & tantillo theriacæ *Lond.* parti affectæ admovere, vel Cataplaſma è farinâ tritici, ſem. lini, fænugræci, flor. ſambuci, micis panis albi, vitello ovi addito, & pulvere croci.

*Senatus Medicus Londin.* bubonibus medendis nullam non manum, & opem adhibuit; nonnullas *cataplaſmatum* formulas in Libello prænominato traditas, atque aliquas uſu quotidiano comprobatas hìc proferam.

℞. Cœ-

℞. Cœpam majuſculam, quam v. a. e. excavatam imple ſummit. rutæ deb. exiccat. & pulveriz. ʒ ij. indantur etiam theriac. *Lond.* ℈ iv. foramen operculo ſuo obturetur, cœpa deinde chartâ bibulâ involuta ſub cineribus aſſetur, cui adde ficum methodo eâdem aſſatam, cum ol. lini, liliorum alb. ana q. ſ. ſimul macerentur, & conficiatur *cataplaſma*, applicandum calidè, bis de die immutandum; quod etiam efficaciſſimum ad morſus venenatos.

*Vel*,

℞. Fol. rutæ, ſcordii contuſ. ana M ſs. medullæ carnis ficuum ℥ ij. flor. meliloti p. ſs. ſalis marini pulveriz. ʒ iij. fermenti veteris ℥ ſs. cum ſ. q. aceti, paretur Cataplaſma.

*Vel*,

℞. Rad. liliorum, althææ, cum aceto macerat: ana ℔ ſs. ſem. lini, fænugræci ana ℥ ſs. carnis ficuum ℥ iij. confectionis ſinapi, cum theriac. ana ℥ ſs. axungiæ ſuillæ q. ſ. F. cataplaſma. Vel juxta *expertiſſimum Mayernum*, à quo medicinæ fundamenta & praxin hauſi.

℞. Succ. apii ℥ ij. meliſſæ ℥ j. pimpinellæ

nellæ ℥ j ſs. cæpas majores Numero duas, ad intenerationem, ſive putrilaginem ſub cineribus cautè aſſatas, alliorum bulbos Numero vj. clavos juglandium maj. vetuſt. Numero iiij, tritis alii bulbis, & clavis, affunde ſuccos, tum adde Cæpas, in mortario marmoreo cum aceti ſcillit. q. ſ. agitentur, & cogantur in Cataplaſmatis conſiſtentiam.

*Tumoris* autem *duritie, dolore pungitivo,* & *intenſiſſimo Calore* plurimùm invaleſcentibus, remedia duritiem reſolventia, & virulentiæ ferociam demulcentia, aliis admiſcere oportet, ex. gr.

℞ rad. liliorum alb. ℥ ij, porrorum, medullæ carnis ficuum ana ℥ j, ſem. lini ℥ ſs. flor. Sambuci, meliloti ana p. ſs. micarum panis alb. ℔ ſs. coq. in ſ. q. lactis, addendo ſub finem ol. roſ. liliorum alb. vel ſambuc ana q. ſ. ut F. *Cataplaſma.*

Vel, ℞ fol. Scabioſæ, acetoſæ ana M ij, chartâ bibulâ involut. & cineribus ſcintillantibus ſubditorum, quibus adde fermenti veteris ʒ ij, ſalis tantillum, agitentur probè in mortario cum ſ.q. axungiæ ſuillæ, ad uſum præmemoratum: Ne in

infinitum abiret hæc narratio miſſas faciam innumeras *Cataplaſmatum* formulas à medico prudenti pro re nata excogitandas.

Non tamdiu *Suppurationem* expectavimus, uſque dum ſuâpte ſponte *diſrumperetur* Bubo, ubi *dolor*, & *reliqua Symptomata ſanè truculentiſſima* aſſiduò citra remiſſionem duraverint; præter *Spiritus languentium inde diſſipatos* & *vires manifeſtò proſtratas*, male metuimus nè *ſanies peſtilens* introrsùm regurgitaret, quin & orificium futurum *pus* evacuandi prorsùs incapax, locoque incommodo apertum; idcircò *ichorem*, utcunque *crudiorem*, vel *ſcalpello* (quod expeditius) effudimus, vel ad mortificationem partis affectæ præcavendam *cauterio potentiali applicito* illum eduximus: verùm ſæpenumerò haùd diſſentaneum à ratione viſum, *cauſtica leviora remediis digeſtivis* immo, & *maturantibus* admiſcere.

*Cataplaſmatum* licèt uſum commune omnium ſuffragium egregiè beneficum fore perſvaſerit, *calorem* nempe *naturalem languentem*, & *propè extinctum* mirè *excitantium*; *partes circumquaque vicinas humectan-*

*humectantium, cutim inſuper dilatantium, humores deinque acres contemperantium, & demulcentium*; quoniam verò ab iteratâ eorum renovatione plurimùm detrimenti ægris accidiſſe obſervavi, *ſequens ceratum* illorum vice ſubſtituere placuit.

℞ empl. Oxycrocei ℥ iij, galbani colat gum. carannæ ana ℥ j, picis navalis ℥ ij, è liquatis ſimul cum ol. chamemeli, & liliorum, v. a. e. F. maſſa pro empl.

Auſus ſum aſſerere *empl. hæc* plus millies *chirurgicæ manûs* vicem ſuppleviſſe, quæ ſpacio triduano, aut ſepiùs immutabantur: Verùm *apertio Bubonum artificialis* multò auſpicatior habita, viz. *parte tumoris decliviori*, & *prominentiori dextrè vulneratâ*; vaſis interìm majoribus, muſculiſque ſalvis.

Quocunque modo *diſruptis*, vel *inciſis bubonibus* ad ulcus abluendum, & detergendum, lixivium paretur è cineribus ſcordii, betonicæ, bugulæ, ſaniculæ, &c. diſſolvendo q. ſ. theriac. Londin. *mixtura* autem *ſequens* huic muneri accomodatiſſima, conſtans ſcil. è rad. ariſtoloch. rotun. myrrhâ, aloe, & croco infuſ. & ſolut. in ſp.

Vini ſ. q., colaturæ addendo tantillum ol. terebinth. Porrò ad *promovendam digeſtionem*, & *putrefactionem inhibendam* Cataplaſma ſeq. conficiatur, viz.

℞ mellis roſ. ℥ j, terebinth. cum vitello ovi ſolut. ℥ ſs. theriac. Lond. ʒ iij. farinæ tritici ℥ ij ſs. cum ol. hyperici & ſambuc. ana q. ſ. coq. in Cataplaſmatis conſiſtentiam: Vel.

℞ ung. baſilic. p. duas, linimenti Arcæi p. Tertiam, ol. terebinth. ʒ ſs. M. S.

N.B. Detergentia neutiquàm uſurpanda, niſi ulcus ſit ſordidum.

N.B. Ad *ſedandam doloris veſaniam*, & *inflammationem tollendam*, *opiata*, & *repellentia* cenſenda omninò perniciosiſſima, viz. *venenum peſtilens*, tergiverſari, & ſe intùs recipere cogentia; quin & partibus ab eorum uſu plus nimis refrigeratis impendere *ſphacelationem* quis ignorat?

*Vlcus* non priùs *claudendum*, quàm *ab omni ſorde penitùs expurgatum fuerit*, & *cuncta prorsùm ceſſaverint Symptomata.*

N.B. Multiplici quidem obſervatione mihi conſtitit *ulcera hæc* veneno devicto, &

extinčto, citiùs multò, tutiùſque ſanata fuiſſe, quàm cætera à cauſis aliis quibuſcunque oriunda: In *curationis interim adminiſtratione benè cautus ſit Chirurgus*, nè tumor callum labiis obducat, haùd levi negotio extirpandum: ulceris probè mundati foveæ hiantes *Sarcoticis* repleantur juxta methodum vulgarem. Nè eandem cantilenam ſæpe occinam, *Parotides* ſimili ritu, ac *Bubones* tractandæ.

Hiſce velut per tranſennam ſpectatis, narrationis filum me proximè ducit ad *Carbunculorum* medelam; cùm itaque (uti ſuprà monſtratum) *Anthraces è lixivio peſtilentiali in varias corporis humani partes propulſo, & illas cauſticante ſuborti fuerint*, ad *tres* potiſſimùm *ſcopos* collimare *Chirurg.* intereſt.

1. Vigilantèr proſpiciendum, nè latè nimis ſerpat *Carbunculus*, Gangrænæ inſtar ſuperexcurrens, & neſciens cancellos.

2. Tentanda quamprimùm *Carbunculi* ſeparatio.

3. Ulcus dextrè conſolidandum.

Primæ ſatisfaciunt intentioni remedia, quæ fortuitam *pororum* reſerando

Conſtrictionem, aliqualem egreſsûs veniam *particulis veneficis* concedunt ; item quæ *ardorem* lenire, & *calorem naturalem* ſufflaminare, & tueri valent.

Verum *Curatio Anthracum* juxta illorum *indolem*, *progreſſum*, & *partis affectæ ſitum* inſtituenda alia, atque alia ; nunc mitiùs, nunc aſperiùs eos tractare expedit.

Minimè incommodum erit *Cataplaſma* ex allio ſub cineribus aſſato, cum fuligine, theriac. Lond. & ol. terebinth. Vel,

℞ fermenti veteris ℥ ſs. allii aſſati ℥ ij. ſtercoris columbini ℥ j. confec. Sinapi ʒ v. euphorbii ℈ ij. cum ſ. q. ſaponis nigri F. Cataplaſma. N. B. In *horum Cataplaſmatum* applicatione utpote *acerrimorum*, cautela quidem ſumma adhibeatur, nè *dolor* ab eorum uſu auctus ſit *impatibilis*, ne *humores colliquentur*, & in *partes debiliores* ſecernantur, & deponantur, nè demùm hoc pacto *eſchara figatur*.

2. *Eſcharâ nondum deciduâ*, ubi etiam *nulla inchoatæ ſeparationis veſtigia*, unguenta, & oleaginoſa neutiquàm probanda ; *Carbunculo* autem *ſcintillante*, & *latiùs diſſe-*

*diſſeminato*, ad *remedia acerrima* tranſire haud inconſultum; neque *ſexûs molliſſim.* nec *tenellæ ætatis* miſereri convenit; aliquandò *cucurbitularum ſat capacium* glutinatione *virus peſtilens* evocandum, *ſcarificatione* etiam *celebratâ*, vel *empl. epiſpaſticis Anthraci admotis*; & nonnunquàm *orthopygiis gallorum deplumatis* ad tot vices iteratis, uſque dum *admoti galli perſtiterint ſuperſtites*, blando nimirum, & vitali calore *ſeminarium morbificum* reſolvente, *illique* exitum per *aperta cutis ſpiracula* faciente; *columbæ* etiam per *medium ſectæ*, & *pulmones ovini* efferam *morbi* tyrannidem ſedare valent.

Cæterùm in *eſcharâ amovendâ*, tum *igne*, tum cultro res peragatur: *Cauteriis actualibus* nil ſanè efficatius comperi; quâ in re à more Noſtratium nè latum unguem diſcedere volui, qui prout *Cl. Johannes de Concoregio* refert p. 39. *ferro candente Anthraces ignire conſueverunt.*

Huic operationi peragendæ commoda ſint ad manus inſtrumenta, fibulæ inſtar aliquantulùm mucronata; quibuſdam in uſu κρυψιπύρετα; à parvis vix aliquid emolumenti, ſint itaque ampliſſima univer-

ſum *Anthracis* ambitum ſimul, ſemelque amburentia; quin & *ferrum* tollere nefas, dum ægri *uſtulationem* perſenſerint; ſed ad promovendam *eſcharæ* ſequeſtrationem *ignitio* in centro ſit profundior.

Plurima licet ſunt, hìc pauca referam accepta ab *igne* beneficia, hinc ſci. *partium affectarum, atque adjacentium, utique debilium firmatio, atque Corroboratio*, hinc *vaſculorum laxatorum adſtrictio*, hinc *miaſmatum tenuiorum, & ſubtilium rarefactio*, & *evaporatio*; *virulentiæ peſtiferæ exiccatio*, & *exquiſita correctio*, hinc *denique caloris languentis exuſcitatio*; nè plura dicam, haùd diſpari eventu *pruna peſtilens* igni cedere ſolet, ac à ferro candente admoto *morſus*, vel *ictus venenati* ſanantur.

*Ad Cultrum* quod attinet, reverà *correpti* non minora ab *illo*, quam ab igne adjumenta accipiant; preſertìm ſi *vulnera inflicta ad radicem uſque, & centrum Carbunculi penetraverint*: hinc *expeditior eſcharæ elevatio*, & *ejuſdem ſeparatio*: ubi quandò *tardus* animadvertitur *eſcharæ caſus*, nè *ventilationis defectus gangrænam inducat, adminiculum* hìc *ſummè opportu-*

portu-

*portunum* habeatur, viz. *Anthracum immarginatio*, cruoris effuſionem longè periculoſiſſimam vitando, à temerariâ, & ſiniſtrâ venarum, præcipuè arteriarum ſectione, prout ſuprà monitum.

*Separatione* quocunque modo *inchoatâ*, nimirum vel *ſuâpte ſponte*, vel *ignis*, aut cultri ope; penſi ſit proximi *carbunculum* delibrare, *frequentiſſima* itaque ex butyro recenti, ol. ſambuc., vel liliorum alb. *illinitio* inſtituatur. *Eſchara gradatim, & non præproperè laxanda*, ſci. expectatâ aliquandiù ejus maturitate. Poſt *Anthracis decorticationem*, *tabi evacuationem*, *uſumque mundificantium remediorum*, & *ulceris digeſtionem* auſpicari rerum ordo ſuadet, cæteris jùxta methodum in *bubonum Curatione* traditam Cautè præſtitis.

Poſtremò *incarnatio ſenſim inducenda*, & *ulcus tardè conſolidandum*, quo feſtinantiùs clauſo, haùd infrequens *veneni peſtilentialis reliquias quaſdam ſubindè vagas*, & *plerumque exitioſas* evadere, hoc à caſu præmemorato, aliiſque collectu facillimum.

Quoniam verò *loca Carbunculis adornata* à confluentibus affatìm humoribus mundari

dari nequeant, unde curatio tarda, & quandoque improſpera, *remedia circumquaque defenſitiva* affigantur, quæ *partium conſtringere laxitatem, vaſa obſtructa reſerare, & priſtinum liquoribus tranſitum præbere, quæ demùm Spirituum, & caloris fugam ſiſtere, poſſent*: Quod ſi, cautelâ licèt adhibitâ, *ſphacelatio* immineat ad ſeq. illicò embrochationem confugere oportet.

℞ cinerum abſynthii, ſcordii, cardui, centaurii min. ana ℥ iij è quibus paretur lixivium, indendo flor. chamæmeli, ſambuci, meliloti ana M. j. liquoris limpidi ℔ ij, adde ſpir. vini opt. ℔ ſs. diſſolve theriac. Lond. ℥ ij, M. S. pro fotu p. affectæ bis de die, quàm calidiſſimè, exin *Cataplaſma* conficiatur è theriac. Lond. cum Elix. proprietatis.

Tandem aliquando, ut colophonem huic Sectioni imponam, in quâ controverſiarum ſcopulos, nè prolixior eſſem, de induſtriâ evitavi, paucis animadverte liceat, quàm benè à Republica merentur *experti*, & *fideles Chirurgi*, horum quippe *graſſante peſtilentiâ* provincia perquàm ardua, & periculo plena; utpote qui-

bus

bus *tumorum*, *ulcerumque peſtilentium* mandata curatio: *manu* ſci. *Chirurgicâ ferrum ignitum frequentiſſimè admovendum*, *colluvies bubonum contagioſa tractanda*, *Carbunculi indies extirpandi*, *Sphacelationes etiam tollendæ.* Quantumvis autem nonnulli in munere fungendo vitâ ipſâ defuncti, alii intrepidè Spartam ornârunt, in quodlibet diſcrimen accincti, qui tamen incolumes evaſerunt, non minùs *Providentiæ beneficio* tuti, quàm *animi Conſtantiâ* ſecuri.

Sec-

## SECTIO OCTAVA.

### *De Peſtis præcautione.*

QUandoquidem longè conſultius eſt, *invaſionem peſtiferam* fugere, quàm *impetuoſos*, immò & plerumque *lethales* ejus ſuſtinere *aggreſſus*, præſervatione periculi protinùs experte, ſpe interìm dubiâ victoriæ; non tantùm characteribus *Naturæ* primitùs, & altè impreſſis, ſed exemplo, & communi *omnium ſapientûm* conſilio admonemur, adverſus luxuriantem *morbi Carnificinam* noſmet munire, & minimè Gentium cervices *funeſtiſſimi lictoris* ſecuri ſupinâ, & ultroneâ deditione amputandas tradere.

*Pars hæc prophylactica* (ut dicenda hìc quoque abbreviem) tum *magiſtratûs Generale munus*, tum *Individuorum tuendam complectitur Sanitatem*; *Magiſtratûs* nempe intereſt, ut naturâ, & peculiari indole

dole morbi *à Medicis* proditâ, & delineatâ, *Leges Publicæ* conſcribantur, quibus ſaltem *Luis diſſeminatio* inhiberi queat, ſi non *ejus extinctionem* aſſequi datum.

Imprimis igitur *læſæ Majeſtatis* crimine inſimuletur, qui *vaticiniis fictis, rumoribuſque inanibus paſſim difflatis, plebem calamitatis mirè credulam, metu, & terrore peſtis imminentis concitabit*; hinc *Luis nuperæ propagatio tam manifeſta*, ut plura ſuper illâ re profari dubitantis eſſet.

Tempeſtivâ inſuper cautelâ *domorum infectarum* occluſio præcipienda, à liberâ enim *ſanorum, & correptorum* ſocietate citatiſſimus *peſtilentiæ* progreſſus. Juſta exequiarum publica interdicantur: quinetiam conventus quicunque, hominumque frequentia vitetur: nec non prohibenda uſque ad confectum quadrageſſimale (ſicuti inter Gentes obtinuit) Commercia.

Quanquam Stratagemate ullo, conſiliove vel ſaniſſimo *Cauſæ Univerſalis* influentiam evitare, vel oppugnare in deſperatis ſit habitum; veruntamen jure naturali, & intimâ noſmet conſervandi im-

impreſſione tenemur, Studia, & operam *publicè*, & *privatìm* impendere, ut *peſtilentiæ vis*, & *malitia* infringi, & obtundi poſſet.

Duorum è quâvis parochiâ *ſanitatis Inquiſitorum* conſtitutio, *Senatorum* ſapit *prudentiam*, quorum hoc muneris, viz. ſingulis auroris domeſticatìm, ut omnes valeant, ſiſcitari, & valetudinarios detegere.

In *aeris* autem *expurgatione*, tum *Majores*, tum *poſteri* multùm ſudarunt, *conſtitutione peſtilentiali invaleſcente* illum *ſubſtantialitèr corruptum* opinantes; cùm tamen *Aer* (quod è ſupra dictis illuſtriſſimum) ſit *miaſmatum peſtiferorum* vel *hoſpitium*, vel *cribri adinſtar* iis hùc illùc agitatis tranſitum ſolummodò præbeat, non tam ſuimet gratiâ, depuratione, & emendatione tantâ opus habere videtur, quàm ratione labis aſſociatæ.

*Particulæ* quidem *nitroaereæ peſtilentes per aeris vectæ poroſitates*, ſæpenumerò vel mutatâ aliquantulum *earum* figurâ, vel ventilatione deficiente, in iis aliquandiù morantur, ſtagnantque, & unà cum *aere* inſpirantur; hinc ob utrorumque commix-

mixtionem intimam, & velut confuſionem à *labe communicatâ* de *aeris corruptione* ſuſpicio injecta, ſed de his ſuprà egimus; utcunque ſe res habuerint, conſenſu omnium conſpirante, & velut conflato, *Aeris emendatio inſtituenda.*

Vera aeris purgatio in duobus potiſſimùm conſiſtit.

1. Ut *inquinamentum peſtilens à ſede excutiatur*; hùc conferunt *Venti inſolentes*, præſertìm *Aquilonii*, *Salutares dicti*, quin & *tormenta bellica majora* ſub veſperam, & auroram *exploſa*; particulas veneficas non ſolùm exploſionis vi dimoveri, atque etiam ab agitatione tantâ illarum figuras unà cum aere diverſimodè alterari, quarum deincèps comminutio & diſſipatio expeditior; verùm *nitri* & *Sulphuris* combinatione intimâ *ſalinam ſeminarii peſtilentialis qualitatem* emendari, eſt res ſanè compertiſſima.

2. Summum ſtudium impendere oportet, ut *virus peſtilens reddatur protinùs inefficax*, & *inerme*; hoc unicè præſtant *ſuffumigia appropriata.* Ignium in plateis compitisque accenſionem ab *Hippocrate medicæ artis oraculo* Poſteri didicerunt; quos non-

nonnunquam prodeſſe autumo, non (uti à quibuſdam traditur) *humiditatem peſtiferam* abſorbendo, ſed potiùs *fumum nitroſum* quaquaversùm copiosè evomendo, unde *effluviorum peſtilentium* ſubita transformatio; ſatius itaque duco ut *ignes* è *lignis odoriferis*, & *reſinoſis* extruantur, qui *clarum*, & *pinguem* projiciant *flammam* ſci. è *ligno Juniperino*, *abiegno*, *querno*, *fraxineo*, *ulmeo*, *avellanearum*, &c. non autem è *Carbonibus* ſulphur impurum, fætidum, & ſuffocativum *expirantibus*.

*Edicto* inſuper *Prætoris*, plateæ, latrinæ, & domorum canales ab omni ſorde indies multo mane eluantur; quemadmodùm *fætor*, & *ſpurcities* meritò inſigniuntur *Peſtis domicilia*, ita ab *odoribus teterrimis*, & *graveolentibus*, inde prodeuntibus, *aerem* quandóque *contaminari* experimur, ſaltem *labes contagioſa* ab arctiſſimo *mali utriuſque* conjugio perniciosior evadit, & magis diffuſiva.

Verùm ut ſtrictiùs de *ſuffumigiis*, agam, quibus *aer* corrigendus, & *ædes*, quæ vitium fecerunt, *reficiendæ*, ex iis conſlentur, quæ vel amicâ, & vivaci ſuaveo-

lentiâ

lentiâ *ſpiritus languentes*, & *proſtratos* recreent, erigant & confortent, *odores* quippe *gratum ſpirantes ſpirituum* ſunt velut *pabulum*, & *vita*; vel ex iis quæ *gummoſitate*, ſeu *viſcoſitate pingui* miaſmata venefica, & aculeata irretiant, implicent & obtundant; Vel demùm ex iis quæ *vapore nitroſo* quamlibet impuritatem arcere, vel tranſmutare valent.

Cæterùm non inficior *odores ingratos*, & *graveolentes* viz. *cloacarum*, *hircorum*, &c. *ſuavibus* interdum magis prodeſſe, eò quòd *ſpiritus* retinent, & figunt avolaturos, copioſo utique *exhalationum ſalinarum* effluxu illos ab *infectione* & *quâvis injuriâ* liberant.

*Ut hæc in Claſſes ſuas diribeam*,

*Simplicia Primæ Claſſis*,

Moſchus, Zibethum, Amomum, Thymiama, Lavendula, Roſmarinus, Roſæ, Angelica, Majorana, Cariophylli, Lignum Rhodii, Lignum Aloës, &c.

*Secundæ*, E *lachrymis* & *reſinis pinguibus*, ſcil. Thus, Benzoin, Styrax, bdellium Labdanum, Pix, Sagapenum, Myrrha, &c.

*Tertiæ*, Sulphur, & Nitrum de quibus infrà. Poſtremò, ut omnis occaſio *Luem*

*propagandi* amputetur, haùd perperàm à *magiſtratibus* imperandum, *canes, feles,* etiam & *columbas* interfici; nè forſan *animalia hæc* hùc illùc paſsìm divagantia, & *aves* circumquáque volitantes unà ſecum apportent *ſemen peſtilentiale,* & ſint *contagii* traduces.

Tametſi *Latores,* & *Adjutores Legum nuperâ peſtilentialiâ gliſcente* in munere obeundo *oculatiſſimi* erant, & *ſtrenui, Lues* tamen *immorigera* cædibus non temperavit: cùm itaque *magiſtratûs conſilia* & *ultima conamina* prudentiæ licèt, & fidelitatis plena, peſtis tyrannidi coercendæ non ſatis fuerint, *Individuorum munitio ſollicitè admodùm attendenda:* proſpiciendum primò, ut omnia ociùs amoveantur, quæ corpora noſtra diſponunt, & quaſi adaptant ad labem peſtilentialem ſuſcipiendam, tum conſulendum, ut corpora omnimodè firmentur, quò *miaſmatum veneficorum* impetus fortitèr ſuſtineant.

Neſcio ſanè grandius piaculum, quàm corpus non mundare, & omne ſuperfluum non tollere, inſtante autem conſtitutione peſtilentiali, evacuationes præcipuè univerſales cautè inſtituantur.

Si

Si *plethora vera* apertionem venæ ſuadeat, ſanguis detrahatur, ſed ex orificio anguſtiori, copiâ minori, vicibuſque partitis effluat: *corpus cacochymicum* ruptâ morâ ab omni excrementorum, & humorum colluvie liberandum: ſuburrâ humorum congeſtorum ventriculum, primaſque vias obſidente, *præmittenda potio emetica*, vel vomitus excitetur ingurgitatione affluâ poſetalæ fol. cardui & ſcordii incoct. dein inteſtinorum fæces eliminentur, cui uſui commodè inſerviat maſſa ſequens, unde F. pilulæ.

Salis Tart. ℈ ij. F. Solutio in ſpir. vini opt. ℥ ij. tum adde guttæ gambi ℈ iv. peractâ ſolutione evaporetur ſpir. tum adde colocynth. cum urinâ præp. ℈ ij. ſcammaii, Sulphurati ℈ j. Aloës, roſatæ ʒ ij. trochiſc. de rhabarb. rec. ℈ iv. gum. ammoniaci in aceto, ſcil. ſoluti ʒ j. ſalis abſynthii, cardui ana ℈ j. ol. carui gutt. vij. cum ſ. q. Syr. de rhamno F. maſſa, inde pilulæ min. formentur, Doſ. ad ℈ ij.

Valent etiam Grana Angelicæ, ext. pilul. Ruffi, item Antimonium purgans, &c.

Humoribus vitioſis, *coinquinamenti peſtiferi*

*ſtiferi* illecebris, commodè expurgatis, quidni Antidotorum uſus auſpicatior?

*Urina* nè ſit ullatenùs ſuppreſſa; error minimè patrandus in rerum ſex non naturalium adminiſtratione; corpus tranſpirabile reddendum; tonus viſcerum & membrorum confirmandus; inedia ſemper infeſta vitetur; bonaque victûs ratio inſtituatur Κατὰ φύσιν, καὶ ἔθος; & quemadmodum cibus eligendus boni ſucci, excrementi pauci, faciliſque concoctionis, ita condimenta quædam aliis anteferenda; embammata, ſcil. hedyſmatis ex. gr. ſucci acetoſæ, limonum, aurantiorum, granatorum, fructus è Berberi cond. Quinetiam non immeritò laudantur epetyrum, cappares, uti & encraſicholi. Indulgendum quâvis menſâ *vini Hiſpan.* momentum, cujus virtutes mox propalabo: Cuipiam exire foribus, præcipitante in occaſum die ſit vetitum.

Ut dicta paucis complectar, omnes univerſi corporis ſucci in ſtatu naturali, motûs æqualitate, fraternâ particularum quarumcunque unione conſerventur, neque in furorem, & orgaſmum adigantur, rarefacti nimiùm, & exaltati, vel ob mix-

tionem

tionem heterogeneam, nec vappeſcant, & degeneres evadant, ob depurationis defectum, & congeſtas fæculentias.

Accuratius autem regimen ex aliorum libris ſuppleri queat: ad Antidota jam deventum.

## *Electuarium Antipeſtilentiale* Inſigniſſimi Mayerni.

℞. Juglandium virid. ℔ ij. ficuum, prunorum ana ℔ j. macerentur in aceto, & pulpa trajiciatur, cui adde pulv. ſubtiliſſ. rutæ ℔ ſs. viperinæ *Virginianæ* ℥ j. ſs. rad. contrayerva ℥ iij. petaſitid. zedoariæ, ana ℥ ij. ſs. ſacchari perlati ℔ j. Syr. è ſucco Kermes ℥ j. Syr. calendulæ, cariophyll. ana q. ſ. ut F. Elect. molle, addendo fol. Auri 40, Doſ. ad quantitatem nucis Jugland. maj. mane, & veſperi.

## *Elect. aliud in uſum pauperum.*

℞. Conſerv. lujulæ, galegæ ana ℔ ſs. calendulæ ℔ j. Theriac. Londin. ℥ iij. boli armen. vitriol. ℥ iv. cum ſyr. limonum q. ſ. conficiatur Elect. Doſ. ad ʒ ij. vel iij.

## *Confectio Antipeſtilentialis.*

℞. Radic. ſcorzon. Hiſpan. petaſitid. contrayerva ana ℥ ij. helenii, tormentillæ ana ℥ ſs. angelicæ, chelidoniæ, mai. ana ℥ j. ſs. bacc. Junip. præp. ℔ ſs. ſummit. rutæ p. j ſem. cardui, citri ana ʒ ij. quibus præp. affunde p. duas aceti ſambuc. & tertiam ſpir. vini opt. infuſione peractâ & expreſſione, liquor igne lento evaporetur ferè ad mellaginem: extracti ℔ j. adde theriac. Londin. ℥ ij. ſs. boli arm. terræ ſigillatæ ana ℥ j. flor. ſulphuris ʒ v. ſucci Kermes ℥ ij. conſerv. lujulæ ℔ j. cum ſyr. limon. q. ſ. F. Elect. molle, Doſ. ad quantit. nucis myriſticæ mai. ter, vel ſæpius de die.

## *Pilulæ Antipeſtilentiales.*

℞. Extract. rad. helenii, angelicæ, contrayerva ana ℥ j. adde extract. alb. glycyrrh. ʒ iij. flor. ſulph. ad quatuor ſaltèm vices ſublim. ʒ ij. C. C. philoſoph. calcin. ſem. citri pulveriz. ana ʒ j. ſs. ſalis ſcordii, abſynth. ana ℈ ij. cum ſ. q. picis liquidæ

F. maſſa pro pilulis, Doſ. ad ℥ ſs. vel ℈ ij. mane, & horâ ſomni.

## *Elixir Proprietatis Antipeſtilentiale.*

℞. Croci Angl. opt. ℥ ſs. extrah. tincturam cum aq. ulmariæ, ſcabioſæ, cardui; vel meliſſæ ſ. q. additis ſpir. ſulphuris aliquot guttis ad leviuſculam aciditatem: liquor per chartam emporeticam agatur, in colaturâ ad lentum B. calorem diſſolve Aloës pellucidæ è veſicâ ℥ iv. per ſataceum linteum haùd ita rarum trajiciatur liquor; deinde F. condenſatio ad eundem calorem, acquiſitâ pilularum molliuſcularum conſiſtentiâ, adde myrrhæ puriſſimæ ʒ vij. flor. vel magiſterii præcipit. Benzoin ʒ iij. ſalis C.C. ʒ ij. cum ſyr. ſambuc. q. ſ. F. maſſa unde pilulæ formentur, Doſ. ad ℈ ij.

## *Tabellæ Sublinguales.*

℞. Extract. rad. angelicæ, & contrayerva ℥ j. extr. alb. liquiritiæ ʒ iij. flor. ſulphuris myrrhat. h. e. cum myrrhâ ſublim. ʒ v. ol. cinnam. gutt. viij. ſaccha-

rum cryſtallin. ad duplum omnium pondus, cum mucilag. gum. tragacanth. aq. ſcordii parat. q. ſ. F. Tabellæ parvæ ſubling.

Solebant nonnulli quovis mane nucleum unum, aut alterum Allii Hiſpan. vel Angelicam condit. deglutire; alii comederunt nuces Juglandes immaturas paritèr conditas.

## *Hauſtus ſequens magnarum virium habitus.*

℞. Aq. roſar. rubr. camphoratæ ℥ ij. aceti opt. ℥ j. in quibus diſſolve bol. arm. opt. ℈ ij. adde ſyr. ſcabioſæ ſimpl. ʒ iij. M. S. F. hauſtus.

Vetulæ quædam ægris inſervientes, (quod ab ipſiſmet accepi) Antidoti vice, proh turpitudinem! ſtercore humano utebantur; cujus ſecretum philoſophicè præp. plurimùm valere non is ſum qui negem.

Aliis Urina quotidiè epota mirè profuit: tametſi tot his, conſimilibuſque remediis muniti, velut paludati, intrepidè in aciem peſtiferam inceſſerint,

omnes

omnes tamen admonitos velim, nè præcipitantèr, neque ex officio, neque ex ſummâ neceſſitudine coacti, apertiſſimum vitæ diſcrimen adeant.

N. B. In medicamentorum prophylacticorum uſu hoc annotandum, viz. remedia adſtringentia cujuſcunque ordinis, nempe bolus armen. terra ſigillata, lemnia, corallium, &c. minimè exhibeantur *virginibus*, & *fœminis*, lunare tributum ſoluturis, nè *obstructiones*, & *affectus graviſſimi* inde exorti, periculum ruinæ ſtruant: Remedia inſuper non minùs improbanda, quæ *purgationes has*, *ſanguinem attenuando*, *& intempeſtivè venas uterinas reſerando*, *proritare valeant*: poſtremò veluti in *curatione*, ita in *præſervatione*, *Anni tempeſtas*, *ſexus*, *temperamentum*, *ætas*, *&c.* ſedulò perpendantur.

Priuſquàm greſſus aliorsùm dirigo, mihi, ut encomia *Vini Generoſi Hiſpanici* concelebrem, gratitudo imperat; utpote inter *Antidota* jure merito locum ſupremum merentis, ſive *vinum* hoc fuerit *ſimplex*, & *merum vinum*, ſive *abſynthio*, *angelica*, &c. imprægnatum; nihil quippe hactenùs quidquam repertum *nervoſo*

*generi*,

*generi*, & *ſpiritibus* præſidium magis amicum.

Verùm hìc *Vini cenſuram* facere permittatur; ſit itaque *vinum adultum* h. e. *ætatis mediæ*, *non novitium*, *non vetuſtate edentulum*, ſit *homogeneum*, *non mixtum*, *non caſtratum*, ſit *mite*, *ſincerum*, *non coaceſcens*, *non corruptum*, ſit *ingentium virium*, *ſaporis æqualis*, *& vivacis*, *non infirmi*, *non languidi*, ſit *odoris ſimplicis*, *gratiſſimi*, velut *Juglandium recentium*, ſit *minimè ponderoſum*, *in effuſione tripudians*, *inter bibendum nares feriens*, *& oſcula figens labiis*, *igni admotum ocyſſimè evolans*, *nulla poſt ſe linquens fœculentiæ veſtigia.*

Profectò maxima *vini hujuſmodi* vis tempore illo fatali, tam à *ſanis*, quàm à *correptis* cum proſperis omnium rebus epota erat, niſi illorum qui *intemperantiæ* ſemet addixêre: plerique hauſerunt *vinum medicatum*, ex *herbis variis Alexipharmacis.*

Supereſt jam, ut de *Pæto* paucula hìc ſubnectam, cujus eximiæ dotes, tum à *Cl. Diemmerbrochio*, tum ab *aliis magni nominis Viris* laudibus cumulantur: Si tamen opiata *Hyoſcyami hujus occidentalis* qualitas

qualitas ſpectanda, ſive *ejus oleum* trutinandum, unà cum vapore, minori licèt quantitate hauſtum, *ſummè veneficum*, vel evacuatio *ſalivæ*, proh nimis prodiga! ad varios à *Naturâ* uſus deſtinata benè perpenſa fuerit, ſi denique ratio habenda *motûs violentioris Pulmonum in ſuctione pæti exercitatorum*, à crebrâ inſpiratione debilitatorum, præter *miaſmatum peſtiferorum* ſimul cum *dicto Antidoto* ad ſe intùs recipienda propenſitatem, præter incommodam *ſuffitûs* graveolentiam; præterquàm quòd (uti ingenuè fateor) mihi pæti inflatio non placet, res, (per me licet), incerta hæreat, an *proficua*, vel *noxia nicotiana*, cujus vice vinum Hiſpan. ſubſtituere ſolebam.

Ad *externa* jam progredior *præſidia*, ubi imprimis de *Periaptis*, & *characteribus* dicendum erit: certè non eſt heſternæ, & recentis machinationis, *Amuleta* diverſimodè concinnata, variis corporis partibus alligare: quâ autem polleant virtute hæc remedia, detur copia diſquirendi; dein è quibus conficiantur, ultimò effectus proferre liceat ab eorum uſu, & applicatione notabiliores.

*Natu-*

*Naturam Univerſalem*, ſive *Animam Mundi* corpora nonnulla magis affectare; & in iis *magnetiſmum* imprimere *diffuſivum* quorundam fert Opinio; & myſtæ corpora hæc probè cognoſcentes ex iis ſe poſſe *Periapta* influentiæ prævalentis confingere exiſtimant, *virus* vel *peſtilentiale* fugantia. Alii ſuſpicantur *venena quædam*, tum *naturalia*, tum *artificioſa* extrinſecùs applicita, ſympathiâ quâdam, quicquid *naturæ humanæ* adverſum, & noxium, ad ſe (ſtraminis inſtar à ſuccino attracti) allicere, & id (quod de lapide fertur ſerpentario) imbibere. Cæteroquìn quibuſdam placet è cardiacis *aromatibus amuleta* conficere, quibus ſuccurrant *languoribus* & deliquiis.

Fas ſit verbo expedire, quid ſuper hâc re cenſeam, ſalvâ utcunque *tantorum Virorum* pace, haud facilè inducor, ut credam, *Amuleta quævis* ex *aliquâ proprietate* cuipiam incolumitatem præſtare; effectus autem quotquot paſsìm extare traduntur, vel *Phantaſiæ vi*, applicationes velut *aſſimilantis*, vel rei admotæ *manifeſtâ qualitate*, produci ſuſpicor; miraculi ſuperſtitionem evincit *Solertiſſ. Fienus*.

Proinde

Proinde *characteres* pingendi, quibus devincerentur morbi, religio per Gentes fuſa diu obtinuit; res tamen haùd abeſt à ſuſpicione, necne *præſtigiis addicti* inventioni huic fidem, & authoritatem conciliaverint? *ope* interìm *infernali*, ſiqua ſit, privatim uſi: quæ precor *figurarum* energia? niſi opinemur eò quòd res medicæ Hieroglyphicè pridem depictæ erant, nè rude vulgus *Sacra Artis Myſteria* profanaret, adeóque plebs interpretationis ænigmaticæ neſcia, in ipsâ *characterum* formatione, & ſculpturâ, vim adverſus *Luem peſtiferam*, aliaſque ægritudines præpotentem latere conjecit, & errorem *Poſteris* tranſmiſit.

*Innumera* propemodùm ab Authoribus traduntur *Periapta*, quorum præparationes ex aliorum libris petantur; inſtituto autem noſtro me hâc in re cumulatè ſatisfactum arbitror, ſi ea à *Noſtratibus* geſta, & apud nos magni habita propoſuerim; in quorum fronte occurrunt *nucum putamina Mercurio gravida*; enimverò plurimi ſat, ſuperque creduli, ab ejus agilitate, longævitatem, à dignitate, & ſummâ authoritate, velut metallorum omnium genitrice, patrocinium,

nium, & incolumitatem fidentèr ſperabant quin & à nonnullis ductum ab ejus volatilitate, utcunque incluſi, argumentum; cujus virtutem, blando corporis calore, evocatam, ab *effluviis contagioſis* quatenùs *ſalinis* protegere autumabant: verùm longè plures gerebant *Amuleta Arſenicalia* ab *empiricis*, & *circumforaneis* venundata, hæc vel conficiebantur ex *Arſenico ſimplici* cum cerâ, vel conſtabant è *rebus aliis adjectis*, morbo etiam appropriatis.

## *Compoſitionis inſignioris formula.*

℞. Dictamni cret. pulv. ℈ vij. pulv. ſinapi ℥ ſs. Benzoin. ʒ ij. Arſenici veri ʒ iij. ol. cinnam. gutt. vij. ceræ opt. ʒ v. cum mucilag. gum. tragacanth. aceto roſac. parat. F. paſta, unde placentæ multiformes depſiticæ parentur, ad pondus ʒ ij. vel iij. cordis regioni admovendæ, linteo ſerico priùs involutæ.

Recepta publicè perſuaſio multos habuit *Arſenicum* magneticè *venenoſitatem quamlibet*, præcipuè *Peſtiferam* attrahere, & illam extinguere. *Secretum* quoque

Bu-

*Bufonum* apud quoſdam in ſummâ erat admiratione.

Verùm quid *emolumenti*, vel *incommodi* ab *Amuletorum applicatione* contigerit, proximè, & συντόμως abſolvam: Obſervationes ſingulatìm recenſere non vacat; profectò haud unius, aut alterius recordor, cui ſecuritatem præſtitêre *ſola hæc Periapta*, expectationi omninò impария; multi enim iis nimiùm confiſi, non tantùm præſidiis aliis uti prætermittebant, ſed in vitæ diſcrimen manifeſtò adducti fuêre ab illorum applicatione, cujus rei *Juriſperitus Senior* teſtis extitit locuples, quem, *carbunculus* in cordis regione germinans, ab *Amuleto Arſenicali* excitatus, intra triduum interfecit, in aliis *veſiculæ ampliores* prodibant, non tam ab *attractione veneni*, quàm ab *Amuletorum vi epiſpaſtica*, & *malignitatis communicatione*: proh itaque dementiam in *tantâ calamitate*, inanibus, & fictitiis, ſi non funeſtis inniti ſuſtentaculis.

Quorsùm, ut technas haſce miſſas faciam, ad *remedia* tranſeo *efficaciora*, & *canonibus medicis apprimè conſentanea*, inter quæ *Fontanelli* eminent; per hos *quaſcunque*

*que impuritates* unà cum *veneno ſubtili*, liquorum frequentèr comite, per apertas velut portas exire, communi omnium conſenſu ſancitum habemus; quod ſcil. contingere ſuſpicor, non quia *partes ſauciatæ* & *ulceratæ debilitantur*, ſed potiſſimum propter *irritationem* vaſa evomere cogentem, humores reddentem fluxiles, & eos tanquam in ſentinam allicientem, quò meliùs per *commata* licèt *minutula* evacuentur.

*Ulcera hæc* quò *plura*, eò *res ægri ſecurior*, quorum tamen amplitudo, multorum vicem commodè ſupplevit; ita ut ſint *foveæ* iv. vj. vel viij. cicerum *capaces*.

Sin vero cuipiam volupe *duos* gerere *fontanellos*, in brachio ſiniſtro unus, & alter in crure adverſo aperiatur: ſi quid hâc in re calculus noſter, & experientia valeant, intrepidus aſſero, quòd quoties me in loca maximè contagioſa contuli, effluviis peſtiferis, non minùs quàm aere ambiente conſeptus, toties brachii pars, ubi ſitus fontanellus, peſſumè cruciabatur, effluente mox ſanie, cum dolore lancinante, & pungitivo, quæ utplurimùm

tenuis,

tenuis, cruda, & ſanguinolenta, dato hoc *invaſionis peſtilentialis* indicio, ad *Medicamentorum Alexipharmacorum* aſylum illicò confugere tutiſſimum duxi.

*Veſicantia* porrò admota, & diu *aperta*, uti in *peſtis curatione*, ita in *præſervatione* plurimùm valebant; à quorum applicatione eventus ferè ſemper ex animo.

Inſtituto jam ad umbilicum perducto, nè Manca videatur narratio hæc, atque ut omnium expectationi ſatisfaciam, reginen particulare, quo ipſe me (Numine etiam favente) periculum quodvis, alienæ ſanitatis gratiâ, non recuſantem, ab *invaſione peſtiferâ* muniverim, paucis exponam.

Diluculo lectum egreſſus, per totum ſemeſtre ſpatium, ex *Confectione Antipeſtilentiali*, quantitatem nucis myriſticæ maj. deglutivi; exin rebus, quæ privati hominis erant, præſtitis, in ædium mearum aulam prodii, ubi maxima Civium frequentia adventum præſtolabatur: ſi excubitorum, ſi adminiſtrantium, ſi languentium, ulceribus nondum ſanatis, ſi denique omnium confluentium numerus, de die in diem ſpectaretur, haùd à Noſocomi diſtinguerentur ædes privatæ;

bihorium, & ſæpe trihorium impendere ſolebam in id ipſum, quò certior fierem de correptorum ſtatu, cujus rationem habere impendiò ſtudui, quò cautiùs, juxta varias indicationes remedia pararem.

Cœtu tandem ſoluto jentavi, *deſæviente* enim *conſtitutione peſtilenti*, inconſultum habui, jejunos foràs prodire: tum quouſque prandendi hora inſtiterit, correptorum domos adivi, ad quos ingrediens, trochiſcis ſuper batillum carbonibus candentibus onuſtum projectis, aeris vitia emendare, & ſpiritus firmare ſatagebam; tabellas quoque ſublinguales maſticavi, quamdiu colloquium cum ægris ſerui.

N. B. In errore erant, qui medicamenta præcalida in ore geſſerunt, ſcil. myrrham, rad. zedoariæ Angelicæ, zinzib. &c. unde pluriès tonſillarum inflammatio, non ſine magno pulmonum malo.

Ædes inſuper dum frequentarem, conſilii haud immaturi fuit, me nunquam vel ſudore madentem, vel anheloſum, cubicula, introire, propiùſque ad lectum accedere: animum indui pacatum, aliorum periculis admonitus, qui animi pathemata ipſo corpore luebant. Viſitatis per horas
aliquot

aliquot languentibus, Domum me recepi; prandium exorſus à vino Hiſpan. Stomachum acuente, reficiente Spiritus, & levem *peſtis* armaturam diſſipante: Cibus menſæ apponebatur conſervandis, reficiendiſque viribus peridoneus (varietate, & copiâ tempore Civitatis lugubri proſcriptis) coctu facilis, aſſatus ſalubrior elixo habitus, condimento non tam palato, quàm naturæ morbi appropriato: prandium ſine vino rariſſimè finivi: Sublatâ mensâ muneris publici erat, quibuſcunque adventum commorantibus reſponſa, & præſcripta dare; his peractis uſque ad horam octavam, vel nonam veſpertinam, ubivis loci decumbentes inviſi: penſo autem diei confecto, & amicis hìnc illìnc convocatis, exutiſque, quantum licuit, curis medicis, cœnarum vice vinum Hiſpan. ad Serenam uſque hilaritatem haurire conſuevi, ex quo ſomnus mollis obrepſit, & amiciſſima diaphoreſis conciliata; quin & tempore diurno ubiprimùm me aculeis peſtiferis vulneratum ſuſpicarer, indiciis à vertigine, nauſeâ, & virium exolutione ſubitaneâ deſumptis, vini momentum mox hauſi, à quo, per patentia

 cutis

cutis ſpiracula, oborto ſudore, *labes peſtilentialis* facilè exterminaretur.

Toto morbi curriculo, bis tantùm (Tutelâ cœlo debitâ) malè me habui, contagio ſuccubiturus; *Antìdota* autem, quæ ad manus, me ocyùs ab omni vindicârunt calamitate.

Poſtremò, ut me tradam in portum de *Olfactoriis*, & de *Domorum infectarum expurgatione* quædam attexere, minimè à re noſtrâ alienum fore arbitror. *Lue coortâ*, nihil inter *Cives* magis Conſuetum quàm varia remedia manibus portare, & eà naribus identidèm admovere, confecta igitur à pluribus *poma odorifera.*

Maſſa ex quâ F. poma odorifera ℞ pulv. rad. angelicæ, ſummit. roriſm. & lavendulæ cum floribus ana ℥ ij, caryophyll. ℈ iiij, labdani puriſſ. Styracis ana ʒ iij, omnibus præp. in commixtione adde ol. nucis moſch. per expreſſ. ʒ j. ſs. ol. ligni rhod. ℈ ij. camphoræ ʒ ſs. moſchi gr. viij. cum ceræ opt. p. ſ. F. maſſa.

Quidam diapaſmata non ferentes, Galbani colati olfactu magis delectabantur: atqui ol. abſynthii, rutæ, necnon ol. vel ſpir. è pice liquidâ quoſſipio exceptus, &

pixide

pixide eburneâ multifori incluſus, pro remediis ſummè beneficis à pleriſque habebantur.

Harum rerum uſum protinùs improbavi; cùm enim à crebriori *ſuffitûs* hauſtu narium ductus nimiùm paterent, per quos unà cum odoribus cerebrum petant *effluvia peſtilentialia*, ab obſervatione virtutis effœtæ, & nonnunquam malevolæ, naſalia brevi exolevêre.

*Domorum expurgatio* ab aliis, atque aliis diverſimodè inſtituebatur. methodus autem ſequens inſtar omnium meritò cenſenda. Oſtiis, viz. ædium, & feneſtris benè clauſis, olla figlina in ſpatii, vel cubiculi centro locetur, ut quaquaversùm ſe diffundat vapor, tum calx viva in decoctum ſeq. projiciatur.

℞. Fol. Scordii, Angelicæ ana M iij. ſummit. lauri, rutæ, lavendulæ ana M. j. ſs. flor. roſar. pallid. ſambuci ana p. ij. calami aromat. ʒ v. Caryophyli. Contuſ. ʒ iij. F. decoctio in duabus p. aq. font. & tertiâ aceti roſac. vel Sambuc. conſimiliter ac lagenæ, à mucore, & ſitu calcis extinctione mundantur, ita ut liquorem inditum non amplius vitient, & corrum-

pant,

pant, ita calx liquori præfato immerſa, eximiæ penetrationis, viriumque invicta-um cùm ſit, ſeminario peſtilenti perden-o aptiſſima videtur: Cui etiam uſui op-imè inſerviant Trochiſci. ſeq.

℞. Salis petræ ℔ i. Sulphuris ℥ iij. ben-zoin. Styracis ſimul liquati. ana q. ſ. ut formentur ſ. a. Trochiſc. deb. exiccandi.

*Deo opt. Maximo Trinuni Laus, & Glo-ria in Sæcula Sæculorum, Qui nos tot', tan-tiſque malis ſuperſtites, velut tot torres ab incendio utroque ex beneplacito eripere dig-natus es, Te, ut ex Philanthropiâ ſupernâ Trojam noſtram jam ſanè novam, potentiſſi-mam, ac ornatiſſimam Conſervare porrò, & protegere, atque adeò univerſo Orbi Britannico deinceps patrocinari velis, Sup-plices deveneramur.*

FINIS.

# IN
## *Peſtem Nuperam* LONDIÑENSEM;
### EJUSQUE
### Hiſtoriam à Viro Cl. qui & interfuit, qui & ei partim curandæ præfuit,
# *Nathanaele Hodgeſio*, M. D.
### è Collegio *Londinenſi* pertextam,
# CARMEN ELEGIACUM.

CHriſte ſalus rerum, & tu Vitæ Spiritus auctor,
 Tuque fave cœptis, ô Pater Alme, meis:
Adſis, dum refero (Vates ego Apolline nullo,
 Te niſi;) quas clades edidit atra Lues.
Cùm bello ſæviret adhuc navalis *Enyo*,
 Et freta purpureo miſta cruore forent:
Ne foret incolumis tellus, è littore longè
 Tutò proſpectans prælia facta ſalo;
Prorupit mox dira Lues, terrâque marique
 Mors æquis tandem ſæviit imperiis.
Deſierat pugnare globis jam navita claſſe
 Subductâ *Batavus:* pugna parata nova eſt.
Miſſilibus morbis certat, gaudetque ferire
 Eminùs incautos nex inopina viros.
Advecta eſt ergo, quo panni & lintea, vento
 *Londinum*, *Hollandæ* credita *Lerna* rati.

Quæ poſtquam ex latebris noſtras prodiret in auras,
Confeſtim accenſo fomite ſparſa foras,
Undique ſe explicuit, quaquà via facta, ſecuta;
Corripiens validâ proxima quæque manu.
Lapſa velut temerè, famulâ emungente lucernam,
Myxa ſolet totas igne cremare domos.
Ut loca complentur, diſploſo ſulphure, fumis,
Quos benè celârat fida caverna diu.
Utque bitumineos adaperta fodina vapores
Recludens, flammas concipit atque vomit.
Non aliter peſtis, quæ panno incluſa latebat,
Proruit ingenti libera facta malo.
Vidi ego, cùm fulſit liventi tincta veneno
Stellula, quæ tantæ nuncia cladis erat:
Quæ nebulâ inceſſit dum circumſepta, malignè
In terras virus deſpuit uſque ſuum.
Vidi funeſtos crines, oculiſque notavi;
Vidi, & præſenſi fata futura metu.
Scilicet humanas terrent præſagia mentes,
Iræ proludit dum pater ipſe ſuæ.
Illa quidem, in veras flammas arſura per artus,
Æſtu febrili tendere cœpit iter.
Illa domos ſtrage immani, ſed corpora primùm
Straverat; ut fieret par domus & dominus.
Eripuit Cives Urbi, mox Civibus Urbem:
Diviſum imperium Peſtis & Ignis habent.
Quòd ſi peſtiferas cauſas anquirere fas ſit,
Quas ex occulto res minùs ipſa docet;
Non eſt diſſimilis Peſtis natura Veneno,
In ſe etiam gravius quid niſi peſtis habet?
Sive hæc plaga Dei eſt, & fati certior ictus,
Et quemque, ut metam miſſa ſagitta, petit.
Sive venenato fingatur ab aere naſci;
(Natura artificis quippe miniſtra Dei eſt.)
Tabificis quando aura Notis, aut acribus Euris
Imprægnata, tonum perdidit ipſa ſuum.
Corpora tabeſcunt, madidus ſi ſqualleat aer;
Et ſi ſit juſto ſiccior, uſta rigent.

Spiritibus gravis utrinque eſt. Hinc aſthmata, febres,
Et Phthiſis, atque aphthæ; peſtis & omnigena.
Mitior es, Borea, quanquam violentior audis,
Quòd putrem verras aera flaminibus.
At vos, O *Zephyri* molles, ſempérque faventes,
Spirate æternùm lilia, voſque roſas.
Anne id, quod Chemiæ credi voluêre magiſtri,
Verius; ex terræ viſcere nata Lues?
Nempe quòd hæc mineris repleta *Mephitin* opacam
Exhalet, cœlum ructibus inficiens.
At tu, quæ vitam dederas, ſi fata datura es,
O Tellus, genitrix alma, ſepulcra dabis,
Si tibi debita mors, ſaltem hæc ſolatia præſtas,
In gremio placidè poſſe cubare tuo.
Denique an id vero ſimile eſt magis, aſtra ſupernè
Ut ſibi, quicquid id eſt juris, habere velint?
Aereis impreſſa locis, vis ergo maligna
. Aſtrorum, peſtem parturit atque famem?
His variam cœli faciem debemus, & anni
Proventum, incertas temporis atque vices.
Nec tamen intereà vanos laudamus *Agyrtas*,
Qui turpem quæſtum nobili ab Arte petunt;
Queis de ſorte hominum ſtatuit malè calculus errans,
Naſcendi quem vel conſilii Hora regit.
Quicquid ſit, vapor à terrâ, vel inertia Venti;
Aut vis Aſtrorum, ſuſcipit Aura notas;
Quas in ſe geſtat, dum currum fida miniſtrat
Peſti, quo latè vecta triumphet ovans.
Sed nec ſe illa diu concluſam in fomite celat
Aereo, hàc ſpargens undique virus & hàc.
Haud aliter ferri maſsâ ex candente propago
Ignea diſſultim, follibus acta, volat.
At poſtquàm certam fixêre miaſmata ſedem,
Atque illapſa dolo nobile viſcus habent;
Serpit amara lues per cunctas didita Venas,
Communi prodens cætera membra neci.
Principio morbi, correptum conſcius horror
Occupat, & gelidus concutit oſſa tremor.

Tum languor feſſo lumbos atque ilia vexat ;
Et ſomni invitum dura libido premit.
Mox urit, qualis peracutis febribus, ardor ;
Atque urget cordis ſæpè dolentis onus.
Singultus ſequitur, ſuſpiria ductaque ab imis
Viſceribus ; demum dira phreneſis agit.
Extrà comparent etiam certiſſima ſigna ;
Cæruleis inter pectora ſtincta notis,
Et reliquæ partes maculis liventibus uſtæ,
Ut ſe mancipium noverit eſſe luis.
Et bubo, ut fit, per cunctos conſurgit Adenas ;
Alis, inguinibus, gutture & auriculis.
Hic ſperare licet : verùm ſi ſplendidus Anthrax
Bile tumens oritur, vix datur ulla ſalus.
Sunt etenim variæ facies, ſpeciéſque, gradúſque ;
Neve unam gaudet Peſtis inire viam :
Mille viæ Lethi ; poſtquam tu, Peſtis, adepta es
Imperium, factæ ſunt tibi mille viæ.
Nam tu, faſcibus acceptis, cùm regna teneres,
Omne genus mortis ſub ditione tuâ eſt.
Tabes, atque Lues Veneris, nodoſa Podagra,
Febris, Eryſipelas ; omnia Peſtis erant.
Sic *Romæ* quondam inviſo regnante *Nerone*,
Non erat ampliùs Urbs, Urbs erat una domus.
Sic cùm ſeditio fervet civilibus armis,
Latrones omnes ad ſua caſtra trahit.
Illa quidem in trinâ poſuit prætoria parte :
Cor, jecur, & cerebrum nobilis illa Trias.
Quæ Cor invaſit, lateri fatalis adhæſit ;
Quæ Cerebrum, capiti vulnera ſæva dedit.
Quæ Jecur aggreſſa eſt peſtis, deſcendit ad inguen
Mitior, abſque operâ, docte Chirurge, tuâ.
Nec minùs ipſi ægri variis ritúque modóque
Uſi, quos variè ceperat iſta Lues.
Hos ſævus dolor in rabiem converterat ; illos
Senſibus orbatos preſſerat alta quies.
Quo foret affectu, quas partes quiſque ſecutus,
Aut quid tentârit, longa referre mora eſt.

Hoc ſatius deflere puto, quàm dicere verſu;
Hoc malim tacitis pingere lacrymulis:
Sic patri obductum eſt velum, cùm ſtaret ad aras
Juſſa mori paſſis *Iphigenia* comis.
Heu! rerum facies, facies miſerabilis Urbis!
Eheu! fatorum quàm Libitina ferax!
Sandapilâ veniente omnis decedere turba,
Cedere mox fatis ipſa coacta ſuis.
Nutriceſne loquar, quæ pravis artibus uſæ
Ereptâ vitâ diripuêre bona?
Peſtiferas Lamias, quæ, dum morientibus inſtant,
Furaces adhibent, carnificeſque manus!
An viduas, quas funereis junxiſſe jugales
Juverat in luctu ſæpè faces facibus?
Conſtitit hæc at enim charo laſcivia turpis,
*Perſephone* nuptis cum Domiduca foret.
Ultima pars reſtat, quæ ſit medicina paranda,
Quam Medici meliùs te docuiſſe queant.
At quis in hâc Medicus præſtantior Arte medendi
Illo, quem coràm, Lector Amice, vides?
Qui ſtetit illæſus denſa inter funera, Peſti
Victrices ſolitus conſeruiſſe manus.
Ille audens animi relevamina præſtitit ægris,
Cautus *Apollineâ* luſit & arte malum.
Duplicibus ſertis jam te tuus ornat *Apollo*,
Cui geminam famam Pharmaca, Scripta dabunt.
*Cæſar* uti peragens & ſcribens prælia dextrâ;
Dux melior, dubium eſt, Hiſtoricuſne foret.
Sed nec conſilium deerat, quo frangere morbum
Poſſent, quod Cous fecerat antè ſenex.
Peſtem carbonum flammis extinguere tentant;
His tamen illa magis fervet adaucta rogis.
Nec deploratis ſecluſio profuit ægris,
Et ſanos pariter tradidit exitio.
Illud erat magnum. Mentis fiducia præſens
Reppulit intacto corpore ſæpè malum.
Ingreſſum multo ſudore ejeceris hoſtem;
Sic venalis erat propoſita ipſa ſalus.

At ſi principio morbi mora ducitur, hæret
    Implicitus, (memini,) nec facilè excutitur.
Namque & ego afflictus lethali tabe jacebam;
    Reſpexit tandem me quoque diva Salus.
O quàm Te memorem, cujus bonitate perenni
    Mors ipſa in luctum ceſſerat, Alme Parens.
O quàm tu facilis veniæ, quàm lenis in irâ?
    Tu quia mitis eras, non quia dignus ego:
O jucunda meæ & longè pars optima Vitæ!
    Votiſque & ſtudiis otia grata meis!
Sed neque Te, curáſque tuas, Clariſſime *Tymmi*,
    Prætercam, quibus eſt hæc mihi parta ſalus.
Summe Pater, faxis, nunquam ut partæque ſalutis,
    Officiique mei dememiniſſe velim.

*Ad. Littleton*, S. T. D.

---

# Parochiarum in celeberrimâ Civitate
# L O N D I N E N S I
# S Y N O P S I S,
## Funerum Anno Dom. 1665. exhibens Rationem.

E Parochiâ

| | *Num. Fun. tot.* | *Peſte interfect.* | |
|---|---|---|---|
| Sancti Albani in vico Ligneo | 200 | 121 | S. Albans Woodſtreet. |
| Omnium Sanctorum de Barking | 514 | 330 | S. Alhallowes Barking |
| Omnium Sanctorū in vico Piſtorum | 35 | 16 | S. Alhallowes Breadſtreet. |
| Omnium Sanctorū maj. ad Fœnum | 455 | 426 | S. Alhallowes Great. |
| Omn. Sanctorum in Mellis vinculo | 10 | 5 | S. Alhallowes Honilane. |
| Omnium Sanctorum min. | 239 | 175 | S. Alhallowes Leſs. |
| Omnium S. S. in vico Longobardico | 90 | 62 | S. Alhallowes Lombardſt. |
| Omniū S. S. Pictorum delibuentium | 185 | 112 | S. Alhallowes Staining. |
| Omnium Sanctorum ſupra Murum | 500 | 356 | S. Alhallowes the Wall. |
| Sancti Alphegi | 271 | 115 | S. Alphage. |
| S. Andreæ Hubbardi | 71 | 25 | S. Andrew Hubbard. |
| S. Andreæ ſubter Malo cereali | 274 | 189 | S. Andrew Underſhaft. |
| S. Andreæ ad Veſtiarium | 476 | 308 | S. Andrew Wardrobe. |
| S. Annæ intra portam Alneæ | 282 | 197 | S. Anne Alderſgate. |
| S. Annæ nigrorum Monachorum | 652 | 467 | S. Anne Black-Friers. |
| S. Anthonii vel Antholini | 58 | 35 | S. Antholins Pariſh. |
| S. Auguſtini ad portam Paulinam | 43 | 20 | S. Auſtins Pariſh. |
| S. Bartholomæi pone Periſtylium | 73 | 51 | S. Bartholom. Exchange. |
| S. Benedicti Finchi | 47 | 22 | S. Bennet Finch. |
| S. Benedicti in Graminoſo vico | 57 | 41 | S. Bennet Grace-church. |
| S. Benedicti ad ripam Paulinam | 355 | 172 | S. Bennet Pauls Wharf. |
| S. Benedicti Sherhogi | 11 | 1 | S. Bennet Sherehog. |
| S. Botolphi ad portam Belini | 83 | 50 | S. Botolph Billingſgate. |
| Æ. lis Chriſti | 653 | 467 | Chriſts Church. |
| S. Chriſtophori | 60 | 47 | S. Chriſtophers. |
| S. Clementis in Foro orientali | 38 | 20 | S. Clements Eaſtcheap. |
| S. Dionyſii Eccleſiæ Backchurch | 78 | 27 | S. Dionys Back-church. |
| S. Dunſtani Orientalis | 265 | 150 | S. Dunſtans Eaſt. |
| S. Edmund. in vico Longobardico | 70 | 36 | S. Edmunds Lumbardſtreet |
| S. Ethelburgæ virginis | 195 | 106 | S. Ethelborough. |
| S. Fidæ ſubter Templ. Paulinum | 104 | 70 | S. Faiths. |
| S. Vedaſti | 144 | 105 | S. Foſters. |
| S. Gabrielis in vico paluſtri | 69 | 39 | S. Gabriel Fen-church. |
| S. Georgii in Botolphi viculo | 41 | 27 | S. George Botolph-lane. |
| S. Gregorii juxta Templ. Paulinum | 376 | 232 | S. Gregories by Pauls. |
| S. Helenæ | 108 | 75 | S. Hellens. |
| S. Jacobi ad Ducis Hoſpitium | 262 | 190 | S. James Dukes place. |
| S. Jacobi ad montem Allii | 189 | 118 | S. James Garlickhyth. |
| S. Joh. Baptiſt. prope Galli torrentem. | 138 | 83 | S. John Baptiſt Walbrook. |
| S. Johannis Evangeliſtæ | 9 | | S. John Evangeliſt. |
| S. Johannis Zachariæ | 85 | 54 | S. John Zacharie. |
| S. Catherinæ Colmanni | 299 | 213 | S. Katherine Colemanſtr. |
| S. Catherinæ Chriſti-Eccleſiæ | 335 | 231 | S. Katherine Cree-church |
| S. Laurentii in Judaiſmo | 94 | 48 | S. Lawrence Jewrie. |
| S. Laurentii Poultnei | 214 | 140 | S. Lawrence Pountney. |
| S. Leonardi in foro Orientali | 42 | 27 | S. Leonard Eaſtcheap. |
| S. Leonardi in Vedaſti viculo | 335 | 255 | S. Leonard Foſter-lane. |
| S. Magni | 103 | 30 | S. Magnus Pariſh. |
| S. Margaritæ Lothberry | 100 | 66 | S. Margaret Lothbury. |

E Parochiâ

| | *Num. Fun. tot.* | *Peſte interfect.* | |
|---|---|---|---|
| S. Margaritæ Moſis | 38 | 25 | S. Margaret Moſes. |
| S. Margaritæ in novo foro Piſcario | 114 | 66 | S. Margaret New Fiſhſtr. |
| S. Margar. à Gallicarum venditione | 49 | 24 | S. Margaret Pattons. |
| S. Mariæ Abbatis Eccleſiæ | 99 | 54 | S. Mary Abchurch. |
| S. Mariæ in Aldermannorum burgo | 181 | 109 | S. Mary Aldermanbury. |
| S. Mariæ ſenioris Mariæ | 105 | 75 | S. Mary Aldermary. |
| S. Mariæ de Arcubus | 64 | 36 | S. Mary le Bow. |
| S. Mariæ à Lintris ſtatione | 55 | 30 | S. Mary Bothaw. |
| S. Mariæ Eccleſiæ Carbon. | 17 | 6 | S. Mary Colechurch. |
| S. Mariæ in Collem | 94 | 64 | S. Mary Hill. |
| S. Mariæ de Monte alt. | 56 | 37 | S. Mary Mounthaw. |
| S. Mariæ Somerſetti | 342 | 262 | S. Mary Sommerſet. |
| S. Mariæ Pictorum delibuentium | 47 | 27 | S. Mary Stainings. |
| S. Mariæ ad Lanæ trutinam | 65 | 33 | S. Mary Woolchurch. |
| S. Mariæ Wolnothi | 75 | 38 | S. Mary Woolnoth. |
| S. Martini in Ferrariorum vicolo | 21 | 11 | S. Martins Iremongerlane |
| S. Martini ad Luddi portam | 196 | 128 | S. Martins Ludgate. |
| S. Martini Organi | 110 | 71 | S. Martins Orgars. |
| S. Martini Outwichi | 60 | 34 | S. Martins Outwich. |
| S. Martini in Vinariis | 417 | 349 | S. Martins Vintrey. |
| S. Matthæi | 24 | 6 | S. Matthew Fridayſtreet. |
| S. Magdalenæ in vico Lacteo | 44 | 22 | S. Maudlins Millſtreet. |
| S. Magdalenæ in veteri Piſcario foro | 176 | 121 | S. Maudlins Oldfiſhſtreet. |
| S. Michaelis Baſſiſhaw | 253 | 164 | S. Michael Baſſiſhaw. |
| S. Michaelis in Hordeaceum collem | 104 | 52 | S. Michael Cornhill |
| S. Michaelis in Curvo viculo | 179 | 133 | S. Michael Crookedlane. |
| S. Michaelis ad ripam Reginalem | 203 | 122 | S. Michael Queenhyth. |
| S. Michaelis ad Bladum | 44 | 18 | S. Michael Querne. |
| S. Michaelis in Riola | 152 | 116 | S. Michael Royal. |
| S. Michaelis in vico Ligneo | 122 | 62 | S. Michael Woodſtreet. |
| S. Mildredæ in vico Piſtorum | 59 | 26 | S. Mildred Breadſtreet. |
| S. Mildredæ in foro Gallinario | 68 | 46 | S. Mildred Poultrey. |
| S. Nicholai de Aconâ | 46 | 28 | S. Nicholas Acons. |
| S. Nicholai aureæ Abbatiæ | 125 | 91 | S. Nicholas Coleabbey. |
| S. Nicholai Olavi | 90 | 62 | S. Nicholas Olaves. |
| S. Olavi in Cervina platea | 237 | 160 | S. Olaves Hartſtreet. |
| S. Olavi in Judaiſmo | 54 | 32 | S. Olaves Jewry. |
| S. Olavi in Argenteo vico | 250 | 132 | S. Olaves Silverſtreet. |
| S. Pancraſii in vico Smegmatico | 30 | 15 | S. Pancras Soperlane. |
| S. Petri in Foro | 61 | 35 | S. Peters Cheap. |
| S. Petri in Hordeaceum collem | 136 | 76 | S. Peters Cornhill. |
| S. Petri ad ripam Paulinam | 114 | 86 | S. Peters Pauls Wharf. |
| S. Petri pauperis | 79 | 47 | S. Peters Poor. |
| S. Stephani in vico Colmanni | 560 | 391 | S. Stephens Colemanſtreet |
| S. Stephani ad Galli torrentem | 34 | 17 | S. Stephens Walbrook. |
| S. Swithini | 93 | 56 | S. Swithins. |
| S. Thomæ Apoſtoli | 163 | 110 | S. Thomas Apoſtle. |
| SS. Trinitatis | 115 | 79 | Trinity Pariſh. |

*E Paroch. intra Mœnia 97. Num. Fun. tot. 15207. Peſte interfect. 9887.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| S. Andreæ in Holborne | 3958 | 3103 | S. Andrew Holborn. |
| S. Bartholomæi maj. | 493 | 344 | S. Bartholomew Great. |
| S. Bartholomæi min. | 193 | 139 | S. Bartholomew Leſs. |
| S. Brigittæ | 2111 | 1427 | S. Bridget. |
| Præcinctura fontis S. Brigittæ | 230 | 179 | Bridewell Precinct. |
| S. Botolphi Alneæ portæ | 997 | 755 | S. Botolph Alderſgate. |
| S. Botolphi ad Veterem portam | 4926 | 4051 | S. Botolph Aldgate. |
| S. Botolphi ad Epiſcopi portam | 3464 | 2500 | S. Botolph Biſhopſgate. |
| S. Dunſtani occidentalis | 958 | 665 | S. Dunſtans Weſt. |
| S. Georgii in Auſtrali opere | 1613 | 1260 | S. George Southwark. |
| S. Ægidii ad portam membris capt. | 8069 | 4838 | S. Giles Cripplegate. |
| S. Olavii in Auſtrali opere | 4793 | 2785 | S. Olaves Southwark. |
| S. Mariæ Salvatoris in Auſtrali opere | 4235 | 3446 | S. Saviours Southwark. |
| S. Sepulchrorum | 4509 | 3746 | S. Sepulchres Pariſh. |
| S. Thomæ in Auſtrali opere | 475 | 371 | S. Thomas Southwark. |
| SS. Trinitatis intra Minores | 168 | 123 | Trinity Minories. |
| E Noſocom. ad infect. excip. | 159 | 156 | At the Peſthouſe. |

*E Parochia extra Mœnia 16. Num. Fun. tot. 41351. Peſte interfect. 28888.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| S. Ægidii in Campis | 4457 | 3216 | S. Giles in the Fields. |
| Hackneiæ | 232 | 132 | Hackney Pariſh. |
| S. Jacobi ad Clericorum fontem | 1863 | 1377 | S. James Clerkenwell. |
| S. Catherinæ juxta Turrim | 956 | 601 | S. Katherines Tower |
| Lamethæ | 798 | 537 | Lambeth Pariſh. |
| S. Leonardi Shorditch | 2669 | 1949 | S. Leonards Shorditch. |
| S. Magdalenæ de Bermondi inſula | 1943 | 1363 | S. Magdalens Bermondſey |
| S. Mariæ ad Villam novam | 1272 | 1004 | S. Mary Newington. |
| S. Mariæ Iſlington ad villam Inſularem | 696 | 593 | S. Mary Iſlington. |
| S. Mariæ de Albâ Capellâ | 4766 | 3855 | S. Mary Whitechappel. |
| Rotherici | 304 | 210 | Rotherith Pariſh. |
| Stephani | 8598 | 6583 | Stepney Pariſh. |

*Extra Urbis confin. Paroch. 12. Num. Fun. tot. 28554. Peſte interfect. 21420.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| S. Clementis Danorum | 1969 | 1319 | S. Clements Danes. |
| S. Pauli in Conventuali horto | 408 | 261 | S. Paul Covent Garden. |
| S. Martini in Campis | 4804 | 2883 | S. Martins in the Fields. |
| S. Mariæ de Sabaudia | 303 | 198 | S. Mary Savoy. |
| S. Margaritæ Weſtmonaſterienſis | 4710 | 3742 | S. Margarets Weſtminſter. |
| E Noſocom. ad infect. excip. | | 156 | Whereof at the Peſthouſe. |

*E Paroch. 5. in Civit. & confiniis Urbis* Weſtmonaſt. *Num. Fun. tot. 12194. Peſte interfect. 8403.*

Numerus Funerum { Tot. —— 97306. / Peſte interf. —— 68596.

*Præter Funera hæc enumerata, quamplurima in publicam Rationem non venêre, vel ob Cleric. incuriam, vel ob privatam & clandeſtinam ſepulturam.*

Typis *Guil. Godbid*, & ſumptibus *Joſephi Nevill.* 1672.